

A B



PETRI CVTSEMII, S. TH. D.

# APOLOGIA

PRO SVO LIBELLO,

INSCRIPTO

*SAXONIA CATHOLICA;*

*Ostendens illius veritatem ex propria Aduer-  
sarij, Prædicantis Lutherani, confessione; cum  
multis eiusdem contradictionibus, calumniis,  
conuiciis, maledictis, imprecationibus, blasphemis  
in superos celi, & summos Magistratus  
terra; pro feliciore errantium con-  
uersione breuiter*

*apparata.*

Prou. 18. v. 3.

Impius, cum in profundum venerit peccatorum,  
contemnit.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. XXIII.





ILLVSTRISSIMO,  
AC REVERENDISSIMO IN  
CHRISTO PATRI, PRINCIPI, AC  
Domino, Domino

SCIPIONI S.R.E. PRESBY-  
TERO CARDINALI BVRGHESIO,  
*Regni Germaniæ Protectori, &c. salutem  
corporis, & animæ; cum sempiterna  
letitia, precatur*

PETRVS CVTSEMIVS, SS. Th. D.



Illustrissime Domine, Pa-  
trone maxime, Celsit.<sup>nis</sup>  
Tuę desiderium videndi &  
legendi libellum meum,  
cui titulus est SAXONIA  
CATHOLICA, repræsentantem Se-  
renissimo Principi, D.<sup>no</sup> Ioh. Georgio,  
Saxonix Ducis, Electori, beatæ memo-  
riæ Maiores suos, Principes, Reges, &  
Imperatores, qui in salvifica fide Ca-  
tholica dies vitæ laudabiliter duxe-  
runt, & feliciter clauserunt; beneuo-  
lumq; eiusdem de eodem iudicium,  
& gaudium cum speciali gratiæ suæ  
oblatione faciunt, vt ad eiusdem Cel-

A 2

situdi-

Epistola

4  
situdinis quoque pedes deuotè depo-  
nam hanc prædicti libelli Apologiã,  
præsidium, ac patrocinium inde pe-  
tens, & exspectans vnde non leuem  
accepit valoris sui auctoritatem. Spe-  
ro non aspernaberis affectum, neq; in-  
tentionem fidelissimi ac deuotissimi  
tui clientis, quem singulari comple-  
xus es beneuolentiã ab anno 1612. datis  
14. in eius testimonium literis: quem-  
que deinceps maiori ac maiori profe-  
cutus es amore, & fauore; beatè mor-  
tuo inprimis Patrono meo Illustrissi-  
mo Cardinale Bellarmino, *cuius vi-  
cem, & amoris locum*, vt proprijs verbis  
tuis vtar, *te suppleturum*, vt confide-  
rem iussisti d. 15. Decemb. Anno 1621.  
Videri autem meritò posset leuidense  
hoc ex charta munusculum, quod in  
deuoti gratiq; animi signum nunc do-  
no do, ac præsentio, nimis vile, si ma-  
gnos magna decent. Ita est, paruum sa-  
tis est, siue quis opusculum spectet, siue  
eius authorem. Paruus fuit libellus ad  
Principem Electorem scriptus, & hic,  
eius Apologia ad Cardinalem, adhuc  
longè minor est. Sed viris Principibus  
loquor de materiis ad ipsos pertinen-  
tibus, qui nō foliorum nec verborum

dele-

*Dedicatoria.*

delectantur multitudine, sed dictio-  
nis pondere, ac veritate. Materia illu-  
stris est, vnico obtutu spectandos Ele-  
ctori Saxoni præbere tot toto orbe  
claros, de familia, & sanguine eius,  
Principes Reges, & imperatores, qui  
sanctæ Catholicæ Ecclesiæ filij fuerunt,  
aliqui etiam Patres, & summi Pasto-  
res, omnes defensores, & nutricij, quo-  
rum laus, & memoria in benedictio-  
ne est. Et hæc ipsam materiam ita tra-  
ctavi, vt absq; omni disputatione, aut  
hæsitatione liberum prædicto Pr. Ele-  
ctori de omnibus & singulis iudiciũ  
relinquam, orãs Altissimum, vt in hac  
speculatione idem eidem inspiret gra-  
tiæ & fidei lumen, quod iis viam mō-  
strauit ad cælestia regna, vt & ipse a-  
pud eosdem suum quoque Principatũ  
post fata in gloria æternet. Neque  
huius de Maioribus veritatis luci vl-  
las Aduersarius, Prædicans Luthera-  
nus, tenebras offundere potuit, quin  
potius vbiq; adstipulari, & assentire  
pauim debuerit, centies quasi edicens  
Maiores Electoris, quos à VVitikindo  
I. ad Fridericum III. vsque Pr. Electo-  
rem Lutheri suada abductum recita-  
ui, omnes fuisse Papistas; item eosdem

in vera agnitione Christi discessisse, benè mortuos, & saluos esse, nec damnari debere; licet sæpenumerò ex erroris sui dementia, & furore simulacramet fuisse deceptos, seductos, demētatos; fuisse Antichristos, Antichristi mancipia, satellites, defensores, cū multis alijs opprobrijs. Et hæc causa est, cur Apologia longè breuior sit priore libello, cū habeam confitentem Aduersarium. Solūm illius nugas, obloquia, conuicia & maledicta breuiter proprijs & formalibus ipsius verbis huc bonâ fide adscribere, & consignare cui libet legenda volui. Quomodo verò hæc libelli, cui nomen est, *Saxonia Catholica*, ad vestram Celsitudinē pertineat APOLOGIA, aut quo iure ipsi inscribatur, aut dedicetur, ipsa per se facilè intelligit, non solūm per authoris humilem deuotionem, sed per proprii suæ Celsitudinis officii obligationem, qua Regni GERMANIÆ, quod inter sæcularia in terris est dignitate summū, PROTECTOR est, magnō zelo, animiq; desiderio omnium ab Ecclesia, extra quam non est salus, errantium conuersionem exoptans, magnâq; cura ac studio promouens.



Dignetur itaque Illustrissima Vestra  
Celsitudo hanc à me, Clientè suo, de  
Saxonia ex Saxone Prædicatè Luthe-  
rano, quamvis ob scurilitates eius nõ  
multam poterit auribus grata esse, in-  
formationem accipere, ex qua tamen  
patebit læta Catholicis Desperata Lu-  
theranorum in religione causa, qui-  
bus ad se defendendum nihil amplius  
suppetit, aut superest, præter conuicia  
maledicta, ac horribiles execratio-  
nes. Tu illustrissime Domine vale fe-  
liciter, ac diu nos protege. Sic opta-  
mus, Deumque rogamus. Amen.





**B**

IENNIVM abiit, quando post  
 ancipites pugnas, & periculo-  
 sa certamina Sereniss.<sup>mo</sup> Prin-  
 cipi, Domino Ioh. Georgio,  
 Electori Saxoniae, &c. à parti-  
 bus Imperatoris in bello Bohemico contra  
 rebelles Lusatos magno Duci & Victori,  
 quasi in triumpho gratulabundus inscripsi,  
 & dicaui libellum, titulo SAXONIA CA-  
 THOLICA, concinnatum ex laudatissi-  
 mis ipsius Maiorum de sanguine, & familia  
 exemplis, Imperatorum, Regum, Electo-  
 rum, aliorumq; vtriusq; status Principum,  
 qui ad vnum omnes ( quæ magna ipsorum  
 laus est, & æviterna felicitas ) à prima hora,  
 primouè conuersionis suæ ex gentilissimo ad  
 Euangelicam Christi agnitionem principia  
 Religionem feruidè coluerunt, firmiterque  
 tenuerunt cum omnibus alijs orthodoxis  
 Christianis Catholicam, quæ inquam Re-  
 ligio sola, & quæ vnica æternam suis cultu-  
 ribus adfert salutem.

Constat enim vniuerso orbi Christiano  
 in Saxonia, & multis vicinis locis ab hac a-  
 uita, & salutifera religione Catholica, à sæ-  
 culo nunc vno, sub cuius decursum natiui-  
 tas,

as, & educatio prædicti Domini Iohannis Georgij incidit, contentiosâ prædicatione Martini Lutheri, prius Monachi, postea Apostatæ ab ordine & institutione S. Patris Augustini, ad alium Dei cultum specioso Euāgelij tegmine palliatum, recessum esse. Igitur vt cognosceret Serenissimus Pr. Elector, omnesque alij Principes consanguinei, nec non cæteri vniuersi summi & infimi gradus subditi illorum, quia vnumquemque eorum immediatè, & in persona hæc res extremè tangit ad perpetuam ipsorum salutem, vel exitium, Religionis suæ, & suorum Antecessorum discrimen, ac differentiam, reproducendos in viuum putauit beatæ memoriæ Maiores, & antiquos Patres-familias inclytæ Saxonie, quorum relicta opera, ac monumenta de religione ipsorum indubitata adstruunt fidem. Quod, inquam, argumētum à pijs Maioribus multum in sacris scripturis laudatur & probatur, facile item est ab omnibus comprehendendi, si exempla, quæ ibi quasi in speculo ad oculum relucet, cum exemplis conferatur, & in quo non disputatur, aut controuertitur, valde autem est efficax in generosis, & excelsis mentibus, vtpotè quæ maiorum suorum felicitate, & gloria virtutum mirificè afficiuntur, & permouentur.

Et vt hunc in me susciperem laborem, nullis inductus sum priuatis cōmodis meis, sed amore communis patriæ, Germaniæ, &

speciatim Ducatus Cliuensis pro maiore sui parte Religioni Catholicæ Dei gratiâ additi, cuius altè memoratus Dñus Ioh. Georgius Saxonix Dux, & Elector se quoque patrem, & principem nominat.

Contra hunc libellum, qui ex Lutheranis Saxoniam inhabitantibus, quid diceret, vel scriberet, initio repertus est nullus, & nemo. Solus Doctor Hoë, concionator aulicus, qui legit, circumlabendo illum, dente Theonino nonnihil arrodit, & declinando eius confutationem, cœpit epistolari colloquio verba mecum commutare, & varias de varijs materijs quæstiones, sæpè excussas, sæpè dilutas, denuò excitare, & potius libellos, quam literas ad me exarare.

Ego, quia humanitùs præ alijs mihi visus est agere, non detrectavi homini humanitùs similiter respòdere, & conatus sum brevioribus semper epistolis illum in Domino IESU, à cuius ouili inter lupos miserè aberrat, monere, rogare, & obtestari per amorem Dei, & salutis suæ, vt in viam rediret, conuerteret se ad domum Dei, sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, suoq; exemplo ad eam suum quoq; Principem, & innumeros de plebe alios, in quantum auxiliaretur Dominus, salutariter reduceret. Quid verò vtrimq; scriptum, vel actum fuerit, hoc ipse sine me, hoc est, absque venia, & consensu meo curauit V Vitebergæ publicè imprimi.

Post

Post præfatum Doctorem Hoë sesqui anno circiter seriùs ab edito libello meo, duo se publicè ostentauerunt in Catalogo librorum pro Nundinis Autumnalibus de anno 1622. doctores, & professores Academiae Lipsiensis, alter Theologus, alter Historicus. Ille hunc imprimi fecerat titulum: *Saxonia Evangelica, Saxonia Catholica Petri Cutsemij, SS. Th. Doctoris opposita ab Heinrico Hopfnero, SS. Th. D. & professore publico in Academia Lipsiensi, impensis heredum Thomæ Schureri in 8.* Hic vero istum: *Saxonia Religiosa tribus ætatibus distincta, summorum Imp. Regum, Principum, &c. per ætates singulas Heroïna mater gloriosissima, pro inclyta saxonica natione Catholico-Lutherana, aduersus Saxoniam Romano-Catholicam à Petro Cutsemio, Pontificio Doctore, Colonia nuper editam, producta authore Ioh. Friderico Franco, Historiarum, & Græcæ, latinæq; literaturæ in Academia Lipsiensi Professore publico. Lipsiæ ibid. in 4.*

Sed qui duo larvati authores emptoribus, alijsque exemplaria videre cupientibus illo Nundinarum tempore, pro libris fumos vendiderunt, imò ne quidem huc vsque libros, ita speciosè intitulatos, in publicum produxerunt. Fortè in fumos etiam abierunt, solis, hominumq; aspectu indigni. Et quid contra veritatem cum ratione dici potest?

Tandem Samuel Muller, quidam Prædicans Mùchlæ, vt vocat, artium Magister, magis

magis quam Doctores isti Academici effrons, & audax superioribus Nundinis vernalibus Anni 1623. libellum efflauit, valdè in omnes orbis Christiani Principes maledicum, titulo: *Spes vana Papistica, id est, Consideratio libelli Coloniensis sub titulo Saxonia Catholica, &c.* quem hominem, vt magis vacare possit suis prædicationibus, & edere quandoque concionem funebrem, nõ multum exagitabo, considerationes tamen illius non nihil consideraturus, parum curas, quis libelli author sit, illene, an alius, vel alij.

Rem ita se habere, vt dixi, fide publica constat, quam Prædicans in sua dedicatoria ad Saxonix Electorem, & reliquos Principes ipse confirmat. *Ac sane, inquit, ex quo processit in theatrum, biennium effluxit integrum, quo tanto tempore, præter Ser. tis V. ræ Electoralis Theologum, & concionatorem primarium, Dn. Doctorem Hoë, nemo, quod sciam, inuentus est, qui opponere se personato lupo, & ouillam excutere publicè voluisset.* Et postea in considerationis exordio pag. 15. subdit: *Dignum tamen duxerunt quidam hunc Cutsanium, cui responderent Lutherani pastores. Horum virorum monitum scriptum Cutsanium perlegi & consideravi. Quid autem mihi videatur, sequentibus considerationibus patefacturus sum.*

- I. *Quâ re motus Cutsanius id scripti genus ediderit, & quid velit propriè.*
- II. *Quale genus argumenti sit, quo utitur sedu-*

Eturus Electorem, & reliquos Principes  
Saxonas.

III. Quid de personis illustribus vniuersis, & sin-  
gulis sentiendum.

IV. Quorsum pertineat disputatio de origine E-  
lectorum.

V. Quam mordeat hic conuersor, & pungat E-  
lectorem.

VI. Quid de conuicijs in Lutherum, Lutheranos  
Doctores, & Auditores iactis, habendum  
sit.

Ita partitur Considerator totum libellum  
suum. Verius ego illum distribuere in sex  
seqq.

- |    |   |  |
|----|---|--|
| In | { | 1. Nugas, & fabulamenta.                       |
|    |   | 2. Impertinentia, & digressiones à<br>materia. |
|    |   | 3. Antilogias, & contradictiones.              |
|    |   | 4. Falsitates, & commenta.                     |
|    |   | 5. Calumnias, & conuicia.                      |
|    |   | 6. Maledicta, & imprecationes.                 |

Hisce ablatis, & defalcatis libellus totus,  
quantus, quantulus est, peribit, nullus ma-  
nebit. Suis locis singula patebunt.

Antequam verò considerationes suas or-  
diatur, longam præmittit narrationem hi-  
storicam visi cometæ Anno 1688. & subse-  
quentium postea malorum, quorum scruta-  
tur & pandit causas. Et plura, inquit pag. 1.  
perdiderunt nos, primò peccata nostra multipli-  
cia, impietas, superstitio, perfidia, leuitas, auari-  
tia, securitas, ambitio, superbia, crudelitas tam in

principibus populi, quam plebe. Vera loquitur;  
 sed mox: nec in Iesuitis, inquit, minima culpa  
 tanti mali, & tot acceptarum cladum residet. Hi  
 siquidem rabie Diabolica, & efferrato ac plus quã  
 Vatiniano odio indiscriminatim acti, nihil vn-  
 quam magis pensi habuerunt, quã ut Antichri-  
 sti potestatem collapsam ex parte, restituerent in  
 integrum. & paulò post: ita in Bohemia nacti  
 optatissimam occasionem eò deduxerunt res Eu-  
 angelicorum, ut de religionis securitate quasi de-  
 sperantes ad extrema deuenirent, ea ausi quæ sa-  
 tius erat omittere. Proturbati sunt de fenestra  
 Consiliarij Cæsarei, mutata forma regiminis, ar-  
 mis tentata infœlicis facti defensio, &c. Malo-  
 rum istorum, quæ ad longum ibi valdè pa-  
 theticè denarrat, culpa vlla, quomodò ad  
 Iesuitas pertineat, nullâ ratione assequi pos-  
 sum, Proiectio è fenestris stupenda Cæsaris  
 Officialium, Regiminis formæ mutatio, a-  
 liaq; enormia facta tam longè à Iesuitis ab-  
 sunt, quã longè hi absunt à Lutherana re-  
 ligione, cuius illa fructus, & opera fuerunt.  
 Sed, ut vnico verbo dicam omnia: Quic-  
 quid mali vspiam, & vnquam homines sce-  
 lesti in orbe perpetrarunt, etiam si tales, de-  
 uoti Lutherani, eius causam, & culpam non  
 alijs assignat hic considerator quam Iesuitis.  
 Sic orditur historiam suam statim in libelli  
 sui exordio, sic eam passim per omnia folia  
 deducit, sic cõcludit in fine post Georgium,  
 vltimum Saxonie Principem Catholicum.  
 Quod bellum, inquit, funestum in Bohemia ex-  
 titit



titit, illi non parum in causa sunt. Quod Gallia  
 flagrat, fecerunt Iesuitæ, Quod Polonia Rex Sue-  
 ciam amisit, procurarunt Iesuitæ. Quod Rex An-  
 glia puluerariam proditionem euaserit cum stirpe  
 sua, quod non primum ictum, vt secundum peni-  
 tus receperit Henricus Magnus Rex Gallia, nimium  
 quantum Iesuitis doluerit, & adhuc doleat. Sunt  
 hæc atrocissimæ calumniæ, quibus totus li-  
 bellus exundat, quas ipsimet Reges, Parla-  
 menta, & Curia refellunt, totus mundus  
 scit esse ficta mendacia. Meo infantili Patres  
 Societatis IESU patrocinio opus non habet,  
 quorum laus, & sonus exiuit in omnem  
 terram, tamen vt lector quisquis huius Præ-  
 dicantis stylum, & ingenium cognoscat,  
 verba hæc illius loco refutationis huc so-  
 lum adscribere volui.

Deinde enarrans victorias Cæsaris fingit  
 Catholicos ex ijs suam probare, & verifica-  
 re religionem, & postea quatuorferè conti-  
 nuis folijs oppugnat hanc thesin, & probat  
 multis exemplis sæpè bonos, & qui iustam  
 fouerunt causam in prælijs, & bello succu-  
 buisse; populum verum Dei Israeliticum ab  
 hostibus sæpe deuictum fuisse, &c. Frustra  
 hæc garrit omnia. Catholici non euētū bel-  
 lorum, sed diuinarum reuelationum, & mi-  
 raculorum certitudine religionē adstruunt.

Tertio, inquit pag. 1. *ominantur fore breui*  
*mutationem religionis, extinctum iri hæ-*  
*refes, transiuros in suas partes Lutheranos*  
*Principes, portendere id Deum victorijs*  
 hæc.

hactenus donatis. Ad quæ respondeo, Catholicos ex verbo Dei credere, & per experientiam scire hæreses extinctum iri, attestante Christo qui dixit: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus celestis, eradicabitur*, Matth. 15. v. 13. sed ignorant quando, quia *Pater* idem inquit Christus, *tempora, & momenta posuit in sua potestate*. Act. 1. v. 7. Interim fateor illos optare breui, & sperare quoque propter errantium salutem. Sed quod tu addis & minari, à malo est, à te ipso est, illâ præsertim verborum, vt tu ais, summâ: *Nos Antichristi Romani fideles optamus, vt ad nos transeat, & eundem nobiscum Diabolum adoretis; Precamur, facite ita; Quod si detrectabitis, & irritam facietis spem nostram de vobis, profectò vos ferro, & igni adigimus*. Sunt hæc infani hominis verba, indigni, cui respondeatur. Sequuntur libelli eius capitales tituli.

---

### Consideratio Prædicantis I.

*Quare motus ediderit scriptum Cutsenius, pag. 16.*

**Q**UÆ spe, inquit, & imaginatatione fretus hanc suadendi prouinciam suscepit, dicere certè non licet, coniecturari autem libet. Adfert igitur coniecturas suas, quas, inquit, pag. 17. *antequam prodamus, hoc fateri necessum habemus; Non esse simpliciter ἀδύνατον, Electorem, vel alium domus Saxonica Principem*

ad

ad Papistas deficere. Et hoc probat multis S. Scripturæ dictis, & exemplis, (ô Nugas!) Et tandem concludit: Proinde nemo affirmare ausit ἀπίως impossibile esse, quod denuò multis confirmat exemplis (frustrà) antiquis, & recentibus, Iacobi Marchionis Badensis, itē V Volffgangi V Vilhelmi Palatini Neoburgensis, quos paulò pòst vocat pauperes. De diuitijs verò sui Principis iactabundus, Animaduertunt, inquit pag. 28. diuitias has ante aliquot annos Austriaci, Dresda vbi fuerunt. Quapropter allectamentum (quod in suo ipse cerebro sic effinxit) ridiculum est, diuitiis velle allicere Electorem, pauperes principes, & Comites forsàn sic allicerentur, quorum aliquot in castra Papistarum eo nomine (audax dictum) transfugisse scimus. Et eiusmodi allectamenta commentus est præter diuitias, longè plura, quæ postea fortiter oppugnat, & euertit. Hoc est cum laruis pugnare, & bellum gerere, quas quis ipse finxit. Et tandem concludendo, At porrò, inquit pag. 31. queritur. Cur ergo Cutsenius persuadere Papismum ausit Electori? Oportere subesse magnam, & occultam rationem? Respondemus, qua ratione, & spe motus Cutsenius suadeat, nescimus quidem.

Vis, vt ego tibi dicam? Amore vestræ omnium Salutis. Verè igitur dicis oportere magnam subesse rationem, sed falsò ais: occultam, eamq; te nescire. Ipse enim inter allectamenta, quæ ponis eam aperis, & primo loco collocas. pag. 27. Commoda, inquit, so-

lent Pötificij ostētare Lutheranus magnatibus plurima: 1. salutem, quam singulis paginis crepat Cutsemius. 2. diuitias 3. gloriam, vellus aureum 4. immortale nomen apud posteros. 5. dignitates 6. affinitates. Et mox: Hæc partim habet Elector, partim non curat, partim nulla sunt, & fictitia. Salutē habet, non indigus, vt eam propter Catholicus fiat. Quid audio? Ergo ad ipsum non pertinet admonitio illa Apostolica S. Pauli; *Cum metu, & tremore operamini vestram salutem.* Phil. 2. v. 12. Næ fælicior est ipse omni alio sub sole Principe, qui salutem habet, non indigus, vt propter eam fiat Catholicus. O homo, quomodo decipis te, & ipsum.

---

Consideratio II.

Quid de genere persuasionis, quo vitur Cutsemius, sit sentiendum, pag. 38.

**H**Oc, inquit pag. 39 considerandum venit. Quale genus argumenti hoc sit, quo pugnat. Exempla producit Maiores Saxoni. At infirmum id argumentum est. Ad quod respondeo per distinctionem pro differentia exemplorum. A prauis, vel prauorum exemplis argumentum hoc infirmum est, imò nullum. A bonorum; à piorum Christianorum, ab orthodoxorum, siue Catholicorum Minorum exemplis validissimum est, inque Scripturis probatissimum. Reproduco è multis illud vnicum: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem*

Patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos,  
 & dicent tibi. Deut. 32. v. 7. Ad quod à Ma-  
 ioribus argumentum Prædicans replicat  
 tria. Primò admittit hanc distinctionem,  
 & fatetur ab exemplis bonis, vel bonorum  
 valere argumentum p. 39. Non improbamus,  
 quidem, inquit, exempla. Videmus enim & Pro-  
 phetas vsos esse exemplis, sed ea tunc primum pro-  
 ducenda sunt, cum de rei bonitate constat. Secun-  
 dò concedit ibidem, & passim Maiores Ele-  
 ctoris Saxonis, Papistas fuisse. Tertiò per  
 modum quæstionis negat ibidem illos re-  
 ctè credidisse, aut veram, & salutiferam re-  
 ligionem tenuisse. Sed quis, inquit, nisi stoli-  
 dus credat ilicò veram esse Papisticam Religionem,  
 quod Maiores Papisticè crediderint. Demonstres  
 prius (pag. 41.) Saxonis Maiores, quos ais, & nu-  
 meras, veram, perque omnia vestra moderna con-  
 formem tenuisse religionem. Et post pauca ibi.  
 Nunquid autem rectas semitas iuerunt Maiores  
 in Papatu? Tota summa breuiter huc recidit;  
 Maiores Electoris non credidisse rectè, vel  
 veram, vti loquitur, religionem tenuisse, i-  
 deoque in Religione Electori non esse imi-  
 tandos, quare? ne damnetur, ne æternum pe-  
 reat, cum malè credentibus, vel prauam re-  
 ligionem colentibus. Qui enim non credit,  
 (scilicet rectè) ià iudicatus est. Ioh. 3. v. 18. Et si-  
 ne fide, (scilicet verâ) impossibile est placere Deo.  
 Hebr. 11. v. 6. quâ nisi quisq; integram, inuiola-  
 tamq; seruauerit absq; dubio in æternum peri-  
 bit, vt docet Symbolum S. Athanasij. Sed

attendat hic Princeps, & quilibet alius lector, quam tu sis homo duplex & Prædicās bilinguis: Ex tuis enim verbis ostendam Maiores Saxonis Papistas saluos, & beatos regnare cum superis. Primò hoc affirmas de omnibus illis in genere pag. 51. his verbis: *Ac vt dicamus, quod sentiamus, non damnamus Maiores nostros, fatemur in genere Papistas fuisse. Et post. p. 52. Sua curabant, contenti generali notitia Christi in Catechismo comprehensa. Specialia relinquebant Ecclesiasticis. Non culpanda hæc inscitia est. Erat vera illa Christiana simplicitas, in qua dum mortui sunt, benè mortui sunt, & damnari à nobis certè non debent.* Affirmas quoque postea de compluribus in specie, cum magna ipsorum laude, vitæque ac virtutum encomio, vti in sequentibus cum multis contradictionibus, & antilogiis, quarum te non pudet pat, ebit.

Quid hinc colliget bonus Princeps Elector aliud, quam vobis Prædicantibus, etiã malè credentes, & ab Antichristo, supremo Diaboli ministro, quo peior non erit, seductos, & in religione dementatos, saluos fieri, & factos esse. Si ita est, cur ita acerbè & funestè nobiscum contenditis de fide, deq; religione, si in Papistica, & si in praua etiam fide, & in Antichristi religione asseritis homines saluari? vtinam Princeps hæc intelligeret, ac nouissima prouideret.

Ego verò ex verbis tuis posterioribus longè aliud colligo, nempe Maiores Saxo-

nis, qui in Papatu vixerunt, in orthodoxa religione institutos, ac verâ fide præditos fuisse, ideò quia beati & saluati sunt. Omnes enim quotquot Antichristum in religione sequuntur, non saluos, sed damnatos, & damnari ex toto corde credo.

---

Consideratio Prædicantis III.

*Quid sentiamus de Maioribus nostris, & Electo-  
ris, deq; singulis in specie.*

DE VVITIKINDO Magno

pag. 54.

**S**IC est, inquit, vt Apostolus noster Saxoni-  
cus narrat. Et post pauca: Hunc Saxonum  
tunc Regem non tam aduersa belli fortuna, quam  
sua mansuetudine delinitum Carolus Magnus in  
suam de Religione sententiam pertraxit. Idem  
& ego dixi. Sic enim cum paganis, qui Chri-  
sto nunquam nomen, vel fidem dederunt,  
agendum est in negotio Religionis, suauiter  
scilicet, & mansuetè. Tu autem subdis ibid.  
Nil autem Papisticum in huius principis historia  
videmus. Quasi obscurum esset, quam colu-  
erit Carolus Religionem, quam totus mū-  
dus scit fuisse Catholicam, Apostolicâ Ro-  
manam, in qua & sanctitatis nomen apud  
posteritatem obtinuit. Breuiter loco pro-  
priae confessionis ex Anastasio, qui eodem  
saeculo vixit, accipe Caroli votum, cum

Iuramento, quod sic habet: *In nomine Christi spondeo, atq; polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & B. Petro Apostolo, me protectorem & defensorem fore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, &c.* Sed res non habet dubium. Solùm notavit aliquid Prædicans in VVitikindi huius non religione, sed pietate, quoad fundationem Ecclesiæ Mindensis. Putat liberaliorem fuisse, quam oportebat, quod medietatem arcis suæ diuiserit cum S. Herimberto, pro ædificanda Episcopali Ecclesia. Non VVitikindum, inquit, inueniet in Electore, pag. 56. Et post tres lineas. *Postquam sanè in partem admissi sunt à VVitikindo Episcopi, ceperunt sibi Das Min prædicare ita, vt soli Angriuarie Ducatu iam gaudeant Colonienses, quo iure vellemus nobis diceret Cutsenius. Et mox: Pertineret potius, inquit, Ducatus ad Saxonie Principes, qui VVitikindæ posteræ sunt, & recuperatum ire debebant auitas possessiones. Ecce sic Prædicantes hic illic passim iactant semina belli, & orto tumultu tubas inflant. Non hoc tantùm loco sic exulcerat Considerator Archiepiscopos Colonienses, sed passim pungit speciatim Serenissimum Dominum Ferdinandum, modernum Archiepiscopum, & Electorem, quod suis deinceps locis lector benè notabit.*



## DE OTTONE, Magno Duce.

pag. 57.

**D**E hoc Prædicans sic Laconicè : *Nos  
pium, inquit, fuisse credimus, sed Chri-  
stiana pietate. quâ inquam ego, fundavit ip-  
se, quod Reulnerus, & alij Lutherani scri-  
ptores quoq; affirmant, monasterium Be-  
nedictinorum in monte Luneburgensi, in  
honorem B. Virginis. Sed quid contra hanc  
pietatem Papisticâ obmurmurat Prædicâs?  
Papisticum, inquit, alias est monasteria in hono-  
rem Mariæ condere. Quod factum esse non ne-  
gabimus, intereâ neq; credimus. Hæc est ob-  
stinata vestra peruersitas, & malitia, nolle  
credere, quæ tamen facta non negatis.*

## DE HENRICO Aucupe,

pag. 58.

**H**VNC Henricum, in Regem Roma-  
norum electum, dixi vnctionem sibi  
debitam respuisse, vel saltem non admisisse,  
quod se eâ indignum reputarit, qui aliquan-  
do sacrilegas publicè celebrauerat cū mo-  
niali nuptias. Prædicans concedendo: *Da-  
mus, inquit, duxisse monialem. Hoc enim  
Chronicon Mersburgense habet, & instando ex-  
clamat pag. 60. Duxit Isabella Clara Cardi-  
nalem Albertum absque sacrilegio, cur non &*

B. A.

Auceps

*Auceps Monialem absq; peccato? Respondeo: Nego antecedens. Habella non nupsit Cardinali, sed Archiduci Austriæ, libero Principi, qui statum prius suum Ecclesiasticum cum titulo Cardinalatus, comprobante Summo Pontifice, dimisit. Henricus autem duxerat absque dispensatione, & sine omni necessitate personam Deo dicatam, & Deo datâ fide, seu voto obligatam. Sed Rex Hæricus te melior, ac sanior agnouit, & falsus est se peccasse, cœnobio personam restituit, delictum magna & diuturna pœnitentia expiavit. Tu rursus ais: *Superuacane è hoc fieri, & addis pag 61. Hoc si scisset Imperator, nunquam Romipeta fuisset, neq; porro pœnituisset, si Paulum legisset. Concedit enim Paulus monialibus vt nubant, si continere nequeant.**

Resp. Quis ille Paulus sit ignoro, & nesciuit illum quoq; Rex Henricus: Si Sâctum Paulum intelligis Apostolum, iniuriam facis illi, qui non monialibus, sed liberis virginibus nubendi potestatem concedit. I. Cor. 7.

Porro Regis Henrici Catholicam pietatem, & pium studium in colligendis, ac venerandis Sanctorum reliquijs Prædicans negare non potest. Hoc autem regerit: *Deceptus fuit, & in hoc bonus Princeps.* Et subdit: *Meditabatur iam tum Diabolus inuocationem Sanctorum, quam promouebat cultu reliquiarum.* Omnia falsissima. Bonus, & pius Princeps non fuit deceptus, Sanctorum Patrum doctrinam, & exempla secutus. Au

Audi, si vis, S. Athanasium, qui multis sæculis Henricum antecessit, orantem serm. in Euang. de Annunc. Mariæ: *Inclina aurem tuam Maria in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui. Et infra: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo.*

Audi S. Gregorium Nazianz. etiam primitiue & puræ Ecclesiæ Patrem, orat. in S. Cyprian. Mart. prope finem: *Tu autem è supernus propitius nos respice, & populum hunc sanctum dirige. &c.*

Audi quoq; S. Gregorium Nyss. orat. in S. Theodor. circa finem: *Intercede, & deprecare pro patria apud communem Regem, & Dominum.*

Audi quoq; Patres Latinos. S. Ambrosium lib. de Viduis: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Et subdit: Non erubescamus eos intercessores nostre infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viuerent, cognouerunt.*

Vt concludam, (non enim libet hic disputare) audiatur & S. Augustinus serm. i. de SS. Petro & Paulo: *Beatissimum Petrum piscatorem modò genibus prouolutis adorat gentium multitudo. Et in psal. 96. obijcientibus Ethnicis, quod Christiani colerent Angelos: Vnam, inquit, & vos illos colere velletis. Facile enim ab ipsis disceretur non illos colere vt Deos, sed vt Sanctos.*

Sed nimis fœtidum est, quod mox de S. Bēnonis Misnientis Episcopi reliquijs Monachium translatis, impuro ore euomit: *Non inuidemus, inquit, Bauaro reliquias, quas seruet sibi. Nostri homines Bennonem Magum fuisse adhuc constanter credunt, & eius ossa digniora pyra, quam honore. Quæ miracula ad eius tumbam fiunt, à Diabolo fieri arunt. cuius Benno in viuis fuerat mācipium. Si solus esset S. Benno, quem Prædicans hic Magum vocat, & Diaboli mancipium, prolixè confutandus, & redarguendus esset. Sed quia omnem proiecit verecundiam, omnibus insultans Sanctis Dei, incassum laborabo. Similes blasphemiarum, & obloquia de alijs Sanctis passim in sequentibus occurrent.*

---

DE S. MATHILDE, Aucupis  
coniuge. pag. 71.

**S**IC orditur: *Habet Cutsenius nos consentientes in hac Mathilde. Valdè papistica, id est, superstitiosa femina fuit. Papisticum est, quod 1. Monasterium condidit, 2. pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium, viuam Deo hostiam obtulit (miror hæc Prædicantis verba) 3. diuitias Monachis distribuit, quos seruos Dei Ditmarus (Mersburg. Episcopus) vocat: Omnia hæc papistica sunt. Et post aliquot lineas: Displicet illi (Deo) desertio vocatiōis parentum, maritorum, vxorum, liberorum, proinde non possumus probare Mathildis huius institutum. Benè apparet hunc Prædicantem nec scire,*

omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, vel matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit, Matt. 19. v. 29. Sed quam vituperavit, mox laudat. Probamus, inquit, vigilantiam erga cultum diuinum, templi frequentationes, laudes Dei, visitationem infirmorum. Hospitalitatem, Comitatem, Eleemosynas &c. Hæc parum benè coherent: S. Mathildis deuota fuit, vigilans erga cultum diuinum, templi frequentationes, laudes Dei, hospitalis, comis, liberalis, & misericors erga pauperes, &c. Et Mathildis superstitiosa fœmina fuit, item non possumus probare Mathildis huius institutum. Ô homo prodis animi tui morbum.

---

DE OTTONE I. Imper. pag. 74.

**H**istoriam, inquit, à Cutsemio contextam non culpamus. Sed quia in bellis eius narrantur exempla exercitæ clementiæ, non potest non subinde pungere Augustum nostrum Cæsarem Ferdinandum. pag. 77. Debuerat, inquit, (scil. Otto) seueritate Pragensi uti. Et post pauca ibid. Imitatus est hanc clementiam (scil. Ottonis) nupero bello Lusatico Elector Saxo: In Papistis autem desiderauimus.

Daniam, inquit, Otto ad Christianismum, non Papismum, coëgit. Imò dico ego ad Papismum, quem malè Christianismo opponis. Probo ex proprijs verbis tuis, quæ consequenter addis: pag. 28. dicens: In quomo

& facultates Apostolicas cum gaudio impertiuit.  
 Item: Cum gaudio Agapetum dimisisse Adaldegum credimus libenter, sed blasphemando statim eructat: *Quidam addunt donasse Adaldegum multis plaustris putridorum ossium, quæ ille postea pro reliquijs distribuerit in Saxonia, & Dania, cum hisce Germanismis: Die vvahlen seind ia freygebig gevvesen mit ibren todten Diebsknochen, &c.*

Pergit deinde Prædicans sugillare ipsum Imperatorem Ottonem Magnum; Quod S. Laurentio Martyri vouerit, & condiderit Mersburgensem Ecclesiam. Perperam, inquit, pag. 78. hoc factum est, & nauus in Magno Imperatore. Idem de voto S. Vito facto iudicamus; dedicatione item Episcopatus Magdeburgensis S. Mauritio; Cœnobij Benedictini in honorem Petri, & Pauli, & Innocenty Martyris. Videtur mihi hic Prædicans potius infidelis atheus, quam in religione errans Christianus. Audite quæ subsequuntur: De Catena Petri (S. Petri Apostoli) legimus, inquit, miraculum, credimus etiam, sed ita vt Satanam id operatum esse constanter credamus. Quæ enim vis in catena esset. Et mox acclamat: Sunt manifesta impostura. pag. 79.

Missarum spectatorem (Ottonem) fuisse similiter credimus, sed dolemus. pag. 80. Item: Liberalitas Ottonis laudanda foret, si non nimia. Nocuit, vti monebamus, sibi, posteris, Imperio; stabiliuit potestatem Episcoporum. pag. 80. Et de Confirmatione Ottonis (quoad tempo-

poralia bona) Papæ Ioh. XII. facta, sic ait: *ibid. Si non fictitia est, iusta tamen non est. Non enim debuit Otto Principatus, quorum capaces Episcopi non sunt, confirmare, vel conferre. Et quia Imperatorē iniustitię accusat, statim post eundem excusa, ibid. Credidit superstioso illi saculo, Papam esse Vicarium Christi. Si credidit hoc, qua fronte postea audes asseuerare, & dicere: Singulari Dei gratia fuit Lutheranus? pag. 81. Item ibid. Lutherane enim mortuus est, & ita saluatus? Lutheranus fuit, inquit in fine vitę. Quomodo hoc probat? E morte Ottonis, inquit, argumentum petitur firmum, sacrilegè ademptum esse calicem in cęna laicis. Expetiuit enim Otto corpus, & sanguinem Domini, & accepit vtrumq;. Ex sensu peruerso homo animalis iudicat spiritualia. Omnes fideles Catholici, adhuc hodie in extremis expetunt corpus & sanguinem Domini, & accipiunt vtrumq;, licet calicem non accipiant. Lutheranismus est, credere communicantes participare de corpore Christi, & non simul de sanguine. Ex sanguine corpus non est viuum, sed cadauer est. Christus verò de se, tanquam nutrimento animarum, loquens Ioh. 6. vers. 51. Ego, inquit, sum panis viuus, qui manducauerit ex hoc pane, viuet in aeternum. Quomodo igitur tu sanguinem Christi separas, & diuidis à corpore eius, vt vitam ipsi non auferas? Vos communicantibus vestris in mimica cęna porrigitis panem, qui est, & qui manet triticeus panis,*

perit. Adalda-  
do sta-  
Adalda-  
qua ille  
ia, &  
vvahlen  
todten  
e ipsum  
Quod  
ndide-  
rperam,  
in Ma-  
acto in-  
Magde-  
ctini in  
Marty-  
iūs in-  
errans  
ur: De  
us, in-  
vt Sa-  
damus.  
lamat:  
uisse si-  
Item:  
nimia.  
perio;  
o. Et  
empo-

cum quo, & in quo ijs persuadetis esse carnem, carnem sine sanguine, puram in puro & naturali pane; vnico verbo atocreas. *Eine pastet.* Calvinistæ se putant melius facere, quod ex pane talem ex sanguinem carnem auferant, panemque & vinum pro hedera, vel ligno porrigant corporis & sanguinis Christi: in cute tamen ne vnico pilo meliores iunt.

Concludit Prædicans considerationem suam his verbis, *ibid.* Sic ergo, & *Ottonis facta excussimus*, quæ imitanda Electori nostro proponit *Papista omnia*, & subiicit: Nos dissuademus sedulo, uti sunt vota sanctis facta *Vito*, & *Laurentio*; donationes immodicæ factæ *Episcopis*. *Cætera inuitabilia*, Amor Religionis (quam sæpè confessus est fuisse *Papisticam*) studium pietatis, ieiunia, preces, liberalitas moderata, clementia erga deuictos, sumptio integra *Cœna Dominicæ*. Hæc si inuitaberis, *Serenissime Princeps*, non dubitamus eundem tibi finem vitæ tum *Ottonis Magni* futurum esse. Nihil ego aliud toto libello meo ingemino, clamito, repeto, quam ut *Ser. mus Princeps Elector Dominus Iohannes Georgius* virtutes Imperatoris *Ottonis Magni* æmuletur, & in primis Amorem religionis, quam coluit, & amauit *Otto*, & eundem ipsi vitæ finem voueo, & despondeo.

De B.



DE P. BRUNONE, Archi-  
episcopo Coloniensi.

p. 84.

DE hoc ita Prædicans: Sanctum hunc, inquit, papisticè fuisse, & Archiepiscopum Cursenius gloriatur. Neque invidemus. Quid miri est, Principem, & Principum filios tunc temporis seductos, factosq; membra, & defensores Antichristi fuisse. &c. Et mox: Non igitur miramur, Brunonem hunc, filium & fratrem Imperatoris, Episcopum fuisse, & in castris Antichristi duxisse ordines. Quod monasteria extruxit, & reliquias coluit, malè facta sunt, & peius adhuc in exemplum adducuntur; pessimè coluit Papam, & pro vniuersali Episcopo habuit. Et post paucas lineas: Hypocritam egit, bene dixit, malè vixit. Ita describit inagnum hunc Principem sedis Coloniensis Archiepiscopum, cuius vitæ sanctitas, & gloriæ cælestis beatitudo totum apud Christianos repleuit orbem terrarum. Similibus coloribus atris omnes illius actiones, & res gestas denigrat, vt insignis scurra. Vbi dicitur facundus fuisse pro concione, si quandoque, inquit, fabulas, & somnia Monachorum proferret, audiebatur ab amiculis summa intentione, vt & obdormiscerent. Mirè deuotus in Sanctorū reliquijs colligendis, & honorandis. Videbat, inquit, vir sagax, quæstuosam esse mercem, & tantum lacri vix è mercatura sumi, quàm ossibus, & cruribus asinorum, furum, & latronum Italicorum.

Puder

Pudet huc referre cætera. Et tamen in fine dictionis de S. Brunone, vt cæteros Archiepiscopos Colonienses deturpet, & pudefaciat, virtutes Brunonis ad imitandum mirè collaudat, & beatum ipsum prædicat, quem paulò antè hypocritam vocauit, Antichristi membrum, & defensorem, & qui malè vixit. Nos, inquit, illum producemus in exemplum vitæ Episcopis Papisticis, Coloniensibus præsertim. Discant 1. docere vitæ exemplo. & verbi prædicatione. 2. Propagare præcepta Domini, & esse conciuēs Apostolorum Principes. 3. Amare, & gestare libros, habere bibliothecas. 4. Corrige-  
re diœcesin, Collegia, & Monasteria. 5. Abrogare vitæ luxum, & alios ad bonos mores suo exemplo prouocare; quibus hoc addit Epiphonema: sic facientes beati erunt, vt Beatus Bruno. Qui prius dicebatur Antichristi membrum, & defensor, Hypocrita, qui malè vixit, nunc exemplaris proponitur Pastor, qui optimè vixit, ita vt Prædicantis censurâ, & elogio audiatur BEATVS.

---

DE VVILHELMO, ARCHIE-  
piscopo Moguntino. p.89.

**H**OC, inquit, dicimus, vti Bruno Colonien-  
sis seducendo potius seruiebat, quàm con-  
uertendo Electori, ita & hic VVilhelmus. Fuit e-  
nim æquè, vt ille, Antichristi satelles. Neq; faci-  
mus contumeliam Domui Saxonica, scilicet quod  
tot eius numeret Principes, qui fuerunt de

familia Diaboli, ministri scilicet & satellites Antichristi, seductores populorum ad inferos. Et tamen non potest non Prædicans hunc quoque Principem, pietate & virtutibus insignem collaudare. pag. 90. *Ceterum, inquit, prudentem, sapientem, affabilem, piuum erga auiam fuisse concedimus, & laudamus.* Ergone censendus pariter cum Brunone beatus? *Si, inquit, in agone non resipuit, periclitatus est de salute.* ibid. Breuis de hoc laudabili Principe Prædicantis sententia iudicialis.

---

DE OTTONE II. Imperatore.  
pag. 90.

**V**No, eodemque pectine scalpit Principes reliquos omnes. Papistæ enim fuerunt, satellites, & defensores Antichristi. *Nos, inquit Prædicans, ut prius, dicimus imprudenter fecisse Ottonem II. conferendo scil. priuilegia Monasterio S. Vincentij ad fontes posito.* Et quia hic Otto Mersburgensem Episcopatum à Patre Ottone I. erectum, & dicatum S. Laurentio, laicali potestate vniuit, vel coniunxit Magdeburgensi, grauiter vlciscente hoc S. Laurentio, ut habent vetustæ illius temporis historiæ, quas ibi citavi, retorquet telum hoc in magnos Principes, sæculi nostri Episcopos, ratione, & exemplo longe dissimili, utpote qui vocatione, & statu sunt personæ Ecclesiasticæ, &

C

Episco-

Episcopatus, quos temporū iniuriā vno plures administrant, non faciunt vel redigunt in vnum Episcopatum, sed distinctos relinquunt, & gubernant, & quidē potestate non laicali, neq; etiam priuata, sed auctoritate, & dispensatione Apostolica. Frustra itaque Prædicās quærit p. 93 *Quo iure ergo vnus Præsul tot Episcopatus possidet*. Si Simoniacus Gisele-  
 rus fuit, (qui Magdeburgensem & Mersbur-  
 gensem taliter ab Ottone in vnum confusos accepit) qui, inquit, duos tantum tenebat, quales illi præsules putādi sunt, qui in vno stomacho tres, aut etiam sex cōcoquunt? Facile intelligimus, quò digitum intendas. Sumit pro causa, quæ non fuit causa, falsam pro vera. Nō ideò Gisele-  
 rus fuit Simoniacus, quia Episcopatus simul duos possidebat, sed quia vnū, fortè & alterum pecunijs, siue largitionibus extraxerat, sicuti tu ipse paulò antè p. 92. narra-  
 rasti, *audi paulisper*, inquis, *Giselelus hic, in cuius gratiam Ottonem dixisti aboleuisse Episcopatum, accusatus est ab Ottone III. ad Papam Simonie, quod largitionibus ad Archiepiscopatū venisset*. Viden? Simonie causā in proprijs tuis verbis Define tu igitur alijs Principibus innocentibus tam probrosa impingere crimina; define etiam quærere: *Si succensuit Ottone II. Laurentius, cur ita patientes sunt erga alios tot sancti, tot Episcopatum præsides*. Mone queso præsules, vt misis ceteris vnum retineant. pag. 93. Moneo ego te, vt digito compescas labellum.

## DE OTTONE III. Imperatore.

pag. 94.

DE quo sic prædicans p. 95. *Ottonem III. cōsensu, & approbatione Benedicti VII Imperatorem à Patre electum esse dicit, quasi id facere non licuisset, si Pontifex nō assentiretur. Vbi que scilicet Cussemius studet auctoritatem Pontificum in Imperatores stabilire, in quos tantum illis ius est, quantum mihi in Coloniensem. Ego historiam commemoravi planè, & simpliciter, Prædicans eam non negat, sed interpretatur cum huiusmodi glossis, in quibus nihil veri est. Et quia in progressu seditio- nem, & schisma, quod mortem prædicti Pape secutum est, sumptumq; iustum de turbatoribus Ecclesiæ supplicium obiter attingo, visum nonnullis, in primis Patri Nilo, viro vitæ sanctitate in orbe conspicuo, aliquantò seuerius, Prædicās putat patrociniū Ottonis hic sibi suscipiendum esse, & per retorsionem exempli ex me quærit p. 99. *Præceps ne erat Imperator nuper Pragæ, dum seuerius Proceres puniret? Ho ho! Respondeo. In recitatione exempli Ottonis historicum egi, non iudicem, alienis non meis rem verbis narraui, illū in finem, vt dū Ottonis insignes virtutes commendare intendo, simul errata aliqua feruētioris ætatis iuuenilis leuiter exprimā, quæ ipse graui pœnitētia postea expiauit, quod inter virtutes illius maximè lau-**

de meretur. Prædicās verò sententiā de Imperatore Ferdinando quasi ex arce Capitolina definitiuam proclamat, ibid. *Minus certe, inquit, peccarant illi (Proceres Pragenses) quàm Crescentius, & Dominus Iohannes. Crescentio iam semel ignouerat Otto, Proceribus ignouisse Imperatorem non audiuius. Crescentius Papam, tuum summum in terris Christi Vicariū sede pepulerat legitime electum: illi Imperatorem arcebant tantum regio solio, quod adhuc nūquam presserat. &c. p. 99 & 100.* Multi in his verbis Prædicantis nodi, & spinæ latent, quas alijs eruendas linquo. Me huius litis neque iudicem, neq; aduocatum constituo. Sed feruitatem hanc Imperatoris sæpius exaggerat, & exprobrat ipsi, Hispano truculentiam, Archiepiscopo & Electori Coloniensi pluralitatem Episcopatum. Præstaret Prædicantem horum loco scribere cōciones suas, aut cantillare ad curias vagientium suorum infantum, quàm Censore agere summorum Principum. Prudentiores viri Saxones scio non approbabunt, hunc illius in scribendo stylum, qui pro verbo Dei, & veritatis passim semina discordiæ, & consequenter belli spargit.

Beatum verò Nilum, cuius vitæ sanctitatem totus Oriens, & Occidens venerabatur, vt habet historia vitæ illius, quemque summis honoribus summi terrarū monarchæ Pontifex, & Imperator afficiebant, medio ipsum inter se loco collocantes, & ma-

nus

nus illius deosculantes, turpissimis Prædi-  
 cans vellicat opprobrijs. p. 100. *Et tota, in-*  
*quit, narratione de Nilo apparet fuisse illum de-*  
*lirum senem 1. quod audet iudicium sibi sumere*  
*de seueritate Imperatoris, quam æquè intelligen-*  
*bat, ac nos seueritatem Imperatoris Pragensem.*  
*2 quod stultè loquitur. Et p. 101. Phantasticus*  
*planè homo Nilus ille fuit. Mittamus Morionem.*  
 De Papa vero Gregorio breuiter inquit,  
 Nilo Monacho fuit stultior. p. 100. Sanctum  
 quoque Romoaldum in cuius lecto per oc-  
 casionem Otto Imp. dormire voluit, hypo-  
 critã vocat pag. 102. sanctitatem eius frau-  
 dulentam p. 103. In summa nemini parcit  
 effrenis oris Prædicans, nec summis Prin-  
 cipibus, & Magistratibus in terris, nec san-  
 ctis, & diuis in cælis. Ita suprâ in Henrico  
 Aucupe de Sigismundo Episcopo Halber-  
 stadiensi, qui sacrilegas eius cum Moniali  
 nuptias improbavit, loquens vilissimè pag.  
 60. *Sigismundus Halberstadiensis, inquit, bonus*  
*socius fuit, melior a ipse nesciuit, itaq; suator fuit*  
*Imperatori, vt monialem dimitteret. Sic pag.*  
 94. *S. Adelbertum Bohemorum & Prute-*  
*norum Episcopum, & Martyrem plenis*  
*conuiciorum plaustris proculcat: Adelber-*  
*tus, inquit, puer in Theologia fuit, & scripturas*  
*non legit, & indignus fuit, qui Bohemis prædica-*  
*ret. Superbum hominem fuisse præsumitur, quod*  
*supplicari sibi in viuis ab Imperatore passus sit;*  
*Auarum, quod sponte, & gratis nõ facere voluit.*  
 Et post pauca: *Iam massam argenteam præmij,*

& pretij loco accipit, non oraturus, si nil offerretur. Gloria vanæ cupiditatem arguit, quod massam acceptam sequente nocte distribuit pauperibus, sui non prouidus. Fecit id non amore pauperum, sed gloria, ut videretur ab hominibus Pharisæorum consuetudine, &c. Non posset ipse Dæmō maiori foetore Sanctis Dei oppedere, turpiora illis inurere mendacia. Breuiter historia vitæ S. Adelberti apud Surium ita habet d. 23. Apr. tom. 2. Theophania Imperatrix, Otton. II. vidua ubi sanctum virum (Romæ) adesse cognouit Adelbertum, nominatissimum Episcopum, & Hierosolymam properare audiuit, clam ad se vocat, oransque ut pro anima Senioris rogaret massam argenteam obtulit ingentem, ubi accepit vir Dei onus argenti, suo itineri, aut necessitati parum prouidens, omnia sequenti nocte pauperibus expendit. Hinc omne virus suum araneus excerpit. Verū pro maiore sui confusione descriptionem S. Adelberti in libello suo subdit p. 95. hic repetitione dignam. Fuit, inquit, aliàs illustri natus genere, Patre potente, qui imperauit ad Surinam, & Nissam, ad Herciniam syluam vsque, & Glazium. Votus à matre superstitiosa D. Virgini, Fulde institutus. Assūpto deinde Monachali habitu prædicauit Bohemis, Vngaris, Polonis, Borussia, à quibus occisus tandem est. Corpus Boleslaus, Dux Bohemæ, tanto auri pondere redemit, quantum cadaueri respöderet. Talis S. Adelbertus fuit. Et tali Sancto Prædicans, qui omnem pudorem exuit, tam mendaciter, quàm turpiter conuiciari non eru-

eru-



erubescit. Quem Martyrem quo honore af-  
fecerit Imperator Otto III qui familiariter  
illum in viuis nouerat, retuli in libello meo  
Sax Cath ex Ditmaro. Sic pag. 138. mentio-  
nem faciens S. Benedicti, *cuius, inquit, me-  
moria in maledictione est.* Et pag. 207. morbū,  
& mortem referens S. Annonis, Archiepi-  
scopi Colonienſis, *quo morbo, inquit, diu tor-  
tus exspirauit tandem animam scelestam, & per-  
fidam.* Sed sit finis hic blasphemiarum eius.

In fine de Ottone III. Papistam fuisse non  
negat, (& qui posset, qui toties in genere o-  
mnes Papistas fuisse, & in Papatu, & Papi-  
sticè vixisse dixit) fatetur eum *amasse, Mona-  
chos, ditasse Episcopos, reliquias collegisse, &c.* p.  
109. Sed ibid. excusat his verbis: *iuuenis fuit,  
ad decipiendum facilis. Si anni accessissent, omnia  
hæc agnouisset, & abiiecisset.* Vnde hoc scit, ex  
cuius spiritus reuelatione? Cur igitur Otto  
Imperator I. qui præcessit, & imperauit an-  
nos circiter 37. in fine vitæ non agnouit,  
non abiecit? Henricus quoque auceps, cui  
anni accesserunt sat multi (sexagenarius e-  
nim obiit) cur non hæc omnia agnouit, &  
abiecit? Cur qui Ottonem III. secuti sunt,  
S. Henricus Imperator, qui etiam bonam æ-  
tatem attigit, quinquagenario senior, & cæ-  
teri vniuersi posterii de familia V Vitkindi  
ad infœlix vsq; sydus Lutheri Monachi A-  
postatæ, hæc omnia non agnouerunt, non  
abiecerunt? Somnia, & figmenta tua sunt,  
*quæ narras.*

DE BRVNONE, dicto Gregorio  
V. Papa Romano. pag. 110.

**H**ic flet Crocodili lachrymas. *Dolemus*  
*H*adeò, inquit, *in numero Antichristum re-*  
*periri hunc è familia Saxonica V Vitikindea. In*  
*Cathedram illam pestilentia illius temporis caci-*  
*tas prouexit. Et post pauca: pag. 111. Bruno*  
*quidem è Domo tua bonus Papa fuit collatus ad*  
*priores, & secutos. Quid audio! Etiam aliquis*  
*è numero Antichristorum potest esse bo-*  
*nus? Credo ego ne vnum bonum esse, sed*  
*malos omnes, quos si comparare velit, di-*  
*cat hunc præ alijs non fuisse pessimum. Sed*  
*Prædicans contra mentem suam, vti Cai-*  
*phas, veritatem dicit, quod Gregorius bo-*  
*nus Papa fuerit. Reprehendit autem eum*  
*valdè in Apostolico officio suo, quod coë-*  
*gerit Robertum, Hugonis Capeti filium, di-*  
*mittere thoro illicito personam sibi affini-*  
*tate iunctam, & meritis affecerit pænis eum,*  
*& Episcopos, qui talibus nuptijs consense-*  
*rant. Roberti, inquit p. 144. nuptiæ ad Gre-*  
*gorium nihil pertinuerunt. Debit sua agere, non*  
*falcem mittere in messem alienam. Et putauit*  
*Prædicàs hic sibi commodam dari occasio-*  
*nem Serenissimos Augustæ Domus Au-*  
*striacos carpenti, dicens: Quomodo tamen*  
*peccarit Robertus non videmus. Duxerunt enim*  
*Austriaci affines, nullis ob id pænis affecti; digni*  
*sunt*

sunt, quibus poenitentia satisfactio imponatur. Mi homo, non peccarunt, quia cum licentia & dispensatione S. Sedis Apostolicę duxerunt, non ita Robertus Multa Prædicans garrit, quæ tutius sileret. Sed audiamus eius conclusionē de hoc bono Papa, Gregorio, *ibid. Si quis ergo è priscis Saxonie Principibus posteros, & modernos seducere posset, & abalienare à saluifica fidei veritate, nã erit hic ipse Bruno dictus Gregorius, qui suo tempore in regno Diaboli doctor impietatis fuit, sui temporis homines ad æternam futuri sæculi damnationem duxit.* Eiusmodi hominem vocat ille bonum. O miserū ergo Ottonem III. qui huius Gregorij tempore vixit, qui Papa sui temporis homines ad æternam futuri sæculi damnationem duxit. Vixit huius Gregorij quoque tempore Imperator S. Héricus, licet superuixerit, absque tamen religionis mutatione, & vixerunt cõplures alij de familia V Vitikindea Principes tẽpore dicti Gregorij, qui, vt Prædicans ait, in regno Diaboli Doctor impietatis sui temporis homines ad æternam futuri sæculi damnationem duxit. Quod si ita est, Bruno hic Papa omnium, & qui præcesserunt, & qui secuti sunt, pessimus fuit. Suprà enim de multis audiuius, beatos esse, imò vniuersaliter de omnibus benè mortuos esse, nec damnari debere. Nõ igitur illi à temporū istorū Papis ducti fuerunt ad æternã futuri sæculi damnationē. Ita cõsideratè Prædicans cõsiderationes suas

scribit, vt maiores suos modo saluos dicat, modo ad inferos clamitet ductos. Et qui eò abduxerunt fuisse ex propria familia Principes, sed quia de familia fuerunt, præ alijs censendi sunt boni Papæ. Si illi boni, qui in Regno Diaboli impietatis Doctores, sui temporis homines ad æternam futuri sæculi damnationem duxerunt, qui erunt mali? Hisce Prædicantis me nugis occupo. Absoluam autem breui.

---

DE S. BONIFACIO, Ruslorum  
Apostolo, & Martyre pag. 115.

**P**Rædicans eadem semper cantillans cantilenam, nihilo melius sentit de hoc magno Martyre, quàm de cæteris omnibus. Patet, inquit, p. 116. fuisse illum deceptum superstitione illius temporis. Omnes illius virtutes, actiones, & pietatis partes, ieiunia, frugalitatem, continentiam, zelum, & studiũ conuertendi populos, miracula, ipsum deniq; martyrium exhibilat, dicens: *Volenti nõ fit iniuria*, vocans religionem superstitionem, falsam humilitatẽ, hypocrisin, & concludens p. 119. *Beluam ergo, & feram egit Bonifacius*. Quid igitur clamitant Sancti voce magna dicẽtes: *Vsquequo Domine non iudicas, & vindicas sanguinẽ nostrum de ijs, qui habitant in terra?* Ap. 6. v. 10. Si nulla ipsis est facta iniuria? qui tamen volentes, & gaudentes pro nomine IESV contumeliam, & mortem passi sunt, crucem diu  
desi-

desiderarunt, sine intermissione quæsi-  
erunt. Historiam Passionis S. Andreae Apo-  
stoli si nosset, aliter sciret. Sed Christus  
Dominus ipse, nonne *oblatus* est, ut ait Pro-  
pheta Esa. 53. v. 7. *quia voluit*? Nulla igitur  
ipsi pro hominibus mori volenti, ab homi-  
nibus interficientibus facta est iniuria? O  
quàm tu peruersus es Scripturarum inter-  
pres. Iudas Iscariot te iudice facilè absolue-  
retur.

Porro Prædicans repetit ex historia S.  
Bonifacii, quæ apud Damianum exstat, quod  
Rex Russorum fidelis fratrem infidelem &  
credere nolentem interfecerit, dicens: *Ni-  
mirum Papistica fide, cuius hoc Catholicum axio-  
ma est, omnes ad obedientiam Ecclesie Romanæ  
esse cogendos, interficiendos, qui nolunt, quod  
speciali mox exemplo illustrat. Ex hoc, inquit,  
fundamento, ut videtur aliquibus (scilicet Prædi-  
cantibus) Philippus Hispania Rex Carolum fi-  
lium peremit, & Russus noster fratrem. Suppo-  
nit fundamentum falsissimum, ut falsas cõ-  
clusiones superstruat. Non est hoc Catholi-  
cum axioma, infideles, gentiles, Ethnicos,  
qui Christum nunquam induerunt, ad fidem  
Christi cogendos esse, interficiendos, qui no-  
lunt. Longè alias habuit rationes Rex Phi-  
lippus puniendi filium, quarum vel vnâ His-  
pani poterunt tibi aliquando aperire & dicere;  
& quæ, vel quas habuerit causas Rex Russo-  
rum plectendi fratrem infidelem obstina-  
tum, non statim nouit plebs, & Herr omnis  
Ego*

Ego credo infideles etiã esse factis impios,  
& malæ vitæ, ita vt non immeritas putem  
dedisse pœnas.

---

DE S. HENRICO Imperatore.

pag. 124.

**S**ED quid inhæreo recensendis fabulosi  
huius Prædicantis nugis, & gerris. Ne-  
gare non potest omnes Saxonum Maiores  
à prima hora Christianitatis suæ fuisse re-  
ligione Papistas, laudatæ vitæ, bene mor-  
tuos, non damnatos. De singulis inaudi-  
uimus hætenus, licet sepe sibi contradicat,  
sæpe verba sua reuocet, scripta retractet, &  
palinodiam cantet; & quos modò laudat,  
modò culpat, & vituperat. Et qualis inter  
eos Imperator Henricus, qui in numerum  
Sanctorum relatus, virginalis præsertim  
castitatis laudibus licet coniunx toti mun-  
do per omnes generationes inclaruit? *Huius,*  
*inquit, cognomen (SANTVS enim vocatus*  
*est) mouere posset nostros Duces, vt vestigijs suc-*  
*cederent. Suspendent autem ire, si nobiscum san-*  
*ctitatem eius despexerint.* pag. 125. Viri om-  
nes, quotquot estis probi, & honesti, vos o-  
mnes appello, estne hæc vox Diabolica?  
Author est Saxonix Principibus, ne Impe-  
ratorem virum sanctum imitentur, vel ho-  
norent, hoc suasorio argumento, si secum  
virtutem, & sanctitatem eius velint despi-  
cere. Meliorem rationem inuenire non po-  
tuit

tuit, quam insigni mox aliquo confirmat  
mendacio. p. 126. Notum autem est, inquit,  
quanti buccinatores cælibatus sint Papæ, quem  
coniugio ita præferunt, ut demnent coniugio co-  
pulos, præ calitibus. Ideò cum Imperator in cõ-  
iugio coniugè non vsus sit, sanctum vocant. Non  
est ita. Non damnant Papæ coniugio co-  
pulos, apud quos coniugium sacramentum  
est, per quod coniuges illo bene vtetes san-  
ctificantur, & à contagio carnis mundantur.  
Verum tamen est, quod castus cælibatus  
præsertim votiuus lógè sanctior sit, Deoq;  
familiarior, & gratior. Laus verò, & sanctitas  
Imperatoris consistit in virginea castitate,  
licet cõiunx vixerit, aliis interim tum pie-  
tatis, tum sanctimonix virtutibus non ex-  
clusis. Prædicans interim dubitat de tanta  
S. Henrici continentia. p. 144. Dubium De-  
inde est, inquit, tantane fuerit viriusque conti-  
nentia, In suspicionem certe venit hæc adulterij,  
quod amouit quidem probatione vsitata tunc, at  
improba. Sic etiam S. Cunigūda Imperatrix  
apud hunc Prædicantem vapulare debet.

Cur autem, inquit, p. 127 munificus adeò fue-  
rit in Ecclesiasticos, non eget disquisitione. Fasci-  
num videlicet fuit in causa, quo tenebantur tunc  
Reges terræ. Loquitur more suo, dementa-  
ti, fascinati, decepti fuerunt. Sed de religione  
quid? Religionis Catholice, inquit, p. 129. fer-  
uentissimus cultor fuit. Catholice quam ille Chri-  
stianam esse putabat, & erat ex parte. Imò ex  
toto. Alias neq; coluisset, neq; propagaasset. Author  
dicitur

potest dici conuersionis Regni Hungarici. Pergit postea multas alias quoque ipsi enarrare virtutes. Dignusne igitur est Imperator talis, & tantus, quem sanctum unum ex Maioribus posteris Saxonie Duces imitentur? Dicat Predicans. Magna laus est Henrici, & c. maior futura erat si non inebriatus fuisset a meretrice Babylonica, maxima si posset Saxoniae familiae suae Principibus in exemplum verae Religionis statui; hanc cum ignorarit, frustra imitandus proponitur a Cuisimio. Et pag. 142. ut autem (Electo) cum Ottone, & Henricis impp. se decipi, & dementari sinat, non prudentis esse putat. In summa Imperator S. Henricus omni virtute plenus, pius in propaganda religione Catholica, deuotus, & munificus in extruendis atque reparandis Ecclesijs, liberalis erga pauperes, & Ecclesiasticos, castus ad modum Angelorum in coniugio, in bellis faelix praesidio caelum, multisque alijs miraculis, & factis mirabilibus clarus, inculpatae vitae Princeps, non est imitandus. Quare? quia non fuit Lutheranus. Quales Lutheranos in fide, & in vita esse oporteat, cogitet quisque apud se. Nunquid ergo S. Henricus, qui deceptus, & dementatus non potest in exemplum verae religionis statui, iuit viam ad inferos? Si Lutherana religio vera & saluifica religio est, hoc per se liquet, & necessario consequitur. At supra quoties dixit Maiores Saxonum bene mortuos esse, & damnari non debere, qui tamen vixerunt & obierunt Papulae. Et no-



minatim S. Henricum Papistam fuisse fate-  
turp. 142. *Novimus*, inquit, *omnia Hildeshe-*  
*mi educatus, quæ educatio eum Papistam fecit,*  
&c. Potius & rectius ego credo ex verbis  
Prædicantis Papistarum religionem, in qua  
maiores Electoris bene mortui sunt nec da-  
mnari debent, esse veram, & saluificã, & S.  
Hericum Imperatorẽ in eadẽ saluatũ esse.

---

DE BRVNONE, Episcopo Au-  
gustano. pag. 146.

**Q**Vale iudicium de hoc principe, qui  
Episcopus fuit, expectãdũ sit, iam an-  
tẽ novimus. *Non idoneus hic est, ait Prædicãs,*  
*qui docere principes Saxonas possit. Pastor qui-*  
*dem fuit nomine, non re. Aut malè, si pavit. Pa-*  
*uit Ecclesiam pabulo superstitionum, fabularum*  
*de Missa, operibus, ieiunijs, castitate falsa, purga-*  
*torio. Refero hæc ita verbis Aduersarij, vt*  
*constet illius quoq; testimonio Brunonem*  
*hunc S. Henrici Imperatoris fratrẽ, Papistã*  
*fuisse. Quid igitur de illo statuit? Verius se-*  
*ductor fuit, quam Pastor, Antichristi satelles, &*  
*socius in abducendo populo Christiano à Christo*  
*ad idola, & à Deo ad Martyres, quorum Mauri-*  
*tio templum exstruxit Augustæ. S. Valrico di-*  
*cavit prætereà cœnobium S. Afranij.*

Et paulò post: *Habuit hic Episcopus sorores*  
*pudicas, & castas. Moniales enim fuerunt duæ,*  
*vna Padeborn, altera Chime quas iudici iusto re-*  
*linquimus. Prædicans posthac incipit dubi-*  
*tare de maiorũ Saxonum salute, vult iusto*

Dei

Dei iudicio relinqui, ita parum sibi cōstat.  
In summa multum dolet omnes antecessores  
Principes Papistas fuisse, & illos bene  
mortuos esse, suoq; proprio testimonio dā-  
nar non debere.

---

DE LVDOVICO, Primo Marchione  
Thuringiæ, p. 248.

**P**atruus, inquit, Henrici Imperatoris sancti  
fuit, at exemplum insigne, quæ virtus venefici  
Papistici fuerit illius seculi. Potatus enim & hic  
à meretrice Babylonica, Deo Maozim condidit  
templa, vnum in honorem Petri, & Pauli, alterū  
S. Magni, tertium S. Gothardi. In structurā im-  
pendit omnia quæ habuit. Miserandus ergo, non  
imitandus est principibus modernis. Sunt omnia  
verba Prædicantis, sed insanientis. Prophe-  
ta Daniel vaticinans de vltimis mundi die-  
bus, quibus regnabit Antichristus, prædi-  
cit cap. II. v. 38. quod is sit veneraturus, &  
culturus Deum Maozim, idem asseuerat  
Prædicans iam modò fecisse Ludouicum  
è Saxonibus Thuringiæ Marchionem, qui  
Deo Maozim condidit templa in honorem  
SS. Apostolorū Petri, & Pauli, item S. Ma-  
gni, & S. Gothardi. Quis sine commotione  
viscerum suorum potest ferre, vel audire  
blasphemias has Prædicantis in Deum, &  
Sæctos eius; qui ex Ludouico, piissimo Prin-  
cipe, facit ipsum Antichristū, de quo Pro-  
pheta:

pheta: Deum, inquit, *Maozim* in loco suo venerabitur; Templata verò in honorem SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum Dei destruet, & demolietur iuge sacrificium, totumq; cultum Dei Deorum abolebit.

---

DE HERMANN O, Archiepiscopo Coloniensi. pag.

149.

**T**Ractat eum eodem modo, quo cæteros omnes Ecclesiastici ordinis Principes. Hoc speciale addit, quia *Diues* fuit appellatus, *Auarum* magis fuisse suspicamur, quam *pium*. Prædicans non scit, sed suspicatur, quare? quia non habet caritatem. Hæc enim, *non cogitat malum*. 1. Cor. 13. v. 5. & apponit glossam: *veri Doctores, & Episcopi pauperes sunt*. Respōdeo sunt pro loco, & tēpore; & dico, Paupertas non facit, vt sint veri Doctores, & Episcopi; neq; diuitiæ, vt sint falsi. Intereà fateor Prædicātes plerosq; esse pauperes, sed valdè appetere diuitias. Nimis diu cū illis cōuersatus sum. Vide an Doctor Hoë dicere possit; Aurum, & argentum nō est mihi. Ego multorum aliorum argentum, & aurum benè vidi. Et tu sugillas hunc Saxonix Principem, & vis fictitium, vel falsum fuisse Archiepiscopum, ideò quod cum S. Petro dicere non potuerit; Argentum, & aurum non est mihi, quod si te benè noui, non longè abs te abijceres, modò quis

D

tibi

tibi donaret. Neq; ego tibi bene vtenti in-  
uiderem, cui precor fælicitatem æternam.

---

DE VVITIKINDO II. eiusq;  
posteris. pag. 151.

**D**E his, & de cæteris omnibus eadem  
est ratio, quæ de præcedentibus. Sic  
enim breuiter pag. 157. *Pontificios, inquit,  
fuisse non negamus.* Longè verò Prædicans  
excurrit ad Bohemos, quia illorū occasio-  
naliter in libello meo fit mentio, quod ni-  
mirum VVitikindi II. nepotes, & posteri  
sæpe auxilio fuerint Imperatoribus ad de-  
bellādos omni tempore obstreperos Bohe-  
mos, de quibus adhuc gentilibus narrat Si-  
gebertus, antiquus auctor, quod Francos o-  
lim vicerint ope Dæmonis: Vbi ego illis  
nunc Christianis precatus fui spiritum hu-  
militatis, timoris, & obedientiæ. Ad hæc  
Prædicans: *Nolo, inquit pag. 162. pro Bohemis  
respondere. Viderint ipsi, fuerint ne quod fuisse  
insimulantur. Obedientiæ vocabulo intelligit Cur-  
seuius Papalem, & Asininā illam, quā deberi pu-  
tat Pontifici Romano. Idem de timore, & humili-  
tate iudiciū est. Hæc ne præstent, Bohemos roga-  
tos volumus. is nūc oppressus ab Antichristo (Im-  
perator nūc posthac etiam inter Antichri-  
stos computabitur) vt Dominus Deus præsiat,  
& det spiritū animositatis Christiana patientia,  
& spei ex animo precor, opto. voueo. Imperator,  
alijque Principes faciliè vident, quid Prædi-  
cans velit, & quorum intendat.* **DE**

---

 DE GERONE, Archiepiscopo Co-  
loniensi. pag. 163.
 

---

**Q**Via gregis Catholici Catholicus Pa-  
stor fuit, pius, & deuotus, non potest  
no i Prædicans illum similiter mordere, &  
rodere. Audiamus. Demus, inquit, *Vitikendeu*  
fuisse. Non tamen modernos Principes vel doctri-  
na, vel vitæ exēplo vt doceat, erit idoneus. Quare?  
Doctrinam enim habuit impuram, & vitæ exem-  
pla præbuit superstiosa. Et post pauca: Prouo-  
cat Cutsemius ad *Ditmarū* (Episcopum Merf-  
burgensem, qui de cognatione fuit, & vixit  
circa annum millesimum à nato Christo)  
sed sui similem, hominē nugis, & mendaciis dedi-  
tum membrum fidele Papæ. Et in fine conclu-  
dit: *Ceterum immeritò Gero hic cæcus Pastor, &*  
*Antichristianæ religionis, & mendaciorū Pastor,*  
*eum reliquis Synagoga Papistica seductoribus se-*  
*deat ad instruendum populos de via salutis. Quid*  
*dicam, ipsimet fatentur. Recesserunt à vijs*  
*& semitis antiquis Patrum suorum, vt com-*  
*pleatur prophetia S. Apostoli Pauli 2. Tim.*  
*4. v. 3. Erit enim tempus cum sanam doctrinam*  
*non sustinebunt, sed ad sua desideria coacerua-*  
*bunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veri-*  
*tate quidem auditum auertent, ad fabulas au-*  
*tem conuertentur. Et apud Moysem: Noui, re-*  
*centesq; venerunt, quos non coluerunt patres eo-*  
*rum. Deut. 32. v. 17.*

---

DE HUGONE, Marchione  
Brandeburgenſi. pag. 166.

**C**VM hoc paulò mitius agit, quia laicus Princeps fuit. Tamen quia magnus Papifta fuit, vix poteft. Sic de illo: *Cœnobiorum, inquit, ſeptem fundatorem eſſe Hugonem hunc concedimus, at dolemus. Fundavit nidos Diabolo.* Mox nihilominus commendat, ſicuti etiam aliter non poteft. Hoc autem, inquit, *laudamus in Marchione hoc, quod otium fugerit, & otioſos deſtatuſ ſit, pulſurus è mundo. Utinam agnouiffet Monachos, & Canonicos otioſiſſimos eſſe, ventri & gula, & quod ſub ventre eſt, tantum deditos, profecto deſtatuſ eſſet, & pepuliſſet Heiruria omni, tantum abeſt, vt monaſteria extruxiſſet.* Prædicans impudiciſſimis verbis optat, vt Hugo hic, *Heros digniſſimus*, vti ipſe vocat ibid. agnouiffet in Monachis & Canonicis vitia, quæ Hugo in ipſis non inuenit, ſed virtutes, ob quas nutriendas, & propagandas cœnobia exſtruxit, & dotaui. Hoc Prædicans in corde ſuo dolet, & dentibus infrendens clamat: *Fundavit nidos Diabolo.*

---

DE ALBERTO, Bremenſi  
Archiepiſcopo. pag. 167.

**H**Vnc miſerè lacerat, & vitijs proſcindit, enarrans vitam, & res geſtas illius, ſed more ſuo, hoc eſt valdè peruerſè, in malignam

lignam partem omnia rapiens, & conclu-  
dens de illo: *Vide Cutsemi*, inquit p. 169. *quem*  
*Episcopum nobis presentes; Talem virum, qui am-*  
*bitiosus, Magistratus ὑπερόπλις (græcè hoc di-*  
*cendum erat, Despector) Raptor, Officij sui*  
*negligens fuit, πολυπράγμων sumptus, micro-*  
*mantis imò deditus. Huic Prædicanti Luthe-*  
*rano Lutheranum Professore Ienensem*  
*oppono, Eliam Reusnerum, qui in opere*  
*suo Genealogico fol. 271. sic breuiter de hoc*  
*Alberto scribit. Princeps acris ingenij, memo-*  
*ria insignis, eloquentia admiranda, in pauperes*  
*beneficus, Ipsi Imperatori (Henrico III. item*  
*IV. valdè carus. Et postea refert quas condi-*  
*derit magnis sumptibus Ecclesias. &c. Ad-*  
*dendum tamen hic aliquid est ad meliorem*  
*Historiæ, quâ Aduersarius texuit, cognitio-*  
*nem. Albertus hic raris ingenij dotibus*  
*præditus, Princeps admirabilis industriæ,*  
*& fortunæ, supremus existens director in*  
*aula Henrici principalium suorum nego-*  
*tiorum, odia & inuidias, vt plerunque fieri*  
*solet, incurrit omnium aliorum Imperij*  
*Principum, qui etiam non conquieuerunt*  
*illum carpere, culpæ, & deniq; accusare in*  
*multis, donec ab aula, & à latere Cæsaris*  
*auulsus fuerit. Narrabo rem verbis histo-*  
*rici veracis, & insignis qui eodem tempo-*  
*re vixit, Lamberti Schaffnaburgensis. Vti-*  
*lissima est temporis nostri historia, & no-*  
*notatu dignissima. Educatio Regis, inquit*

Ille ad annū 1043. atque ordinatio omnium rerum publicarum penes Episcopos erat, eminebatque inter eos Maguntini, & Coloniensis Archiepiscoporum auctoritas: A quibus cum in partem consilij Adelbertus Bremensis Archiepiscopus assumptus fuisset tum propter claritatem generis, tum propter aetatem, atque Archiepiscopatus prerogativam, ille sapius colloquendo obsequendo etiā, atque assentando, ita sibi Regem breui devinxerat, ut ceteris Episcopis posthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipse in regno communi, penē Monarchiā usurpare videretur. Lambertus sepulito omni de persona iudicio, rem narrat iuxta popularē de eo sensum, & existimationem, prout vulgi, & multorum etiā è proceribus discursus ferebāt. Ad an. 1065. Rex natalem Domini, ait, Goslarie celebrauit. pascha V Vormacie, vbi Archiepiscopus Bremensis inter sacra Missarum solennia, dum debitum tantae festiuitati sermonē faceret (notetur huius Alberti rara in Archiepiscopis, & natis Principibus virtus pro concione dicēdi) hominem ab infestatione Daemonis purgavit, fusis pro eo tam suis, quā totius populi, qui praesens erat, precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat, stupētibus scilicet, quod vir tam pessima in populo existimationis, qui vitam virtutum non haberet, signa virtutum faceret. Sic peruersus, & invidus hic mundus iudicare solet. Sed, inquit ille, amuli eius inuidiosè hoc interpretabantur, nō meritis eius, sed praesentium populorum supplicationi adscribendum esse tantae

res



rei effectum. Quid contigit ulterius? Invidia enim non dormit. Ann. 1066. Cetera omnia, inquit, in quotidianos usus eius (Regis) quotidianis impensis emebantur. Hoc adeo fiebat odio Premensis Archiepiscopi, quem omnes criminabantur sub pretextu regie familiaritatis monarchiam usurpasse manifeste tyrannidis. Et ipsi ergo consuevit a Regi seruitia mittere detrectabant, & ille in alias regni partes regem abducere nolebat, ne scilicet cum alijs principibus comunicando principatum consiliorum, & familiaritatis, ipse sibi aliquid imminueret, de fastigio usurpata singularitatis. Sed non ultra laturi iniuriam videbatur principes Regni. Archiepiscopi Moguntinus & Coloniensis cum ceteris, quibus cura erat respublica, crebra conuenticula faciebant, atque omnes in commune quid facto opus esset, consulere rogabant. Dein iam adulta conspiratione die generalis colloquij omnibus indixere regni principibus, ut Triburiam conuenientes Premensem Archiepiscopum, communem omnium hostem, communibus omnibus studijs oppugnarent, Regique denunciarent, aut regno ei cadendum esse, aut familiaritate, & amicitia Premensis Archiepiscopi desungendum. Et paulo post: Statuta die tristis in Regem omnium vultus, tristis erat sententia, ut aut regno se abdicaret, aut Archiepiscopum Premensem a consilijs suis, atque a Regni consortio amoueret. Et post pauca: Facto mane infensis adeo animis omnes in Archiepiscopum coorti sunt, ut nec manibus temperassent, nisi regia maiestas vix, & egre iracundiam

diam cohibuisset. Contumeliosè itaq; eiectus est de curte regia. Et addit: Sic iterum rerum publicarum administratio ad Episcopos redijt. Sed quid post annorum quinq; curriculum, anno contigit exinde sexto? Anno 1072. Rex natalalem Domini, inquit, V V ormatia celebrauit, &c. Primus tunc in Palatio erat Adalbertus Pre-mensis Archiepiscopus, qui triumphatis æmulis suis, qui eum ante aliquot annos de palatio eiecerant, solus nunc Rege fruebatur, receptus non modò in gratiam, & familiaritatem, sed penè in Regni consortium, & omnium, quæ publicè, vel priuatim agenda erant, societatem. Et paulò pòst, narrans obitum illius: debitum, inquit, conditioni persoluit, & pertinacibus odijs quod nunquam potuerat viuendo, tandem aliquando satisfecit moriendo. Erat planè vir admirandæ compunctionis, & potissimum dum salutarem Deo hostiam immolaret, totus in lacrymas effluebat. Virgo quoq;, vt forebatur, ab utero matris permanebat. Hæc est breuis historia de hoc Alberto, in quem Prædicans sua quoq; venenatæ linguæ spicula iaculatus est. Concludit verò historiam ille suam de ipso his verbis. Verum est, quod ait Cutsenius, in defuncti thesauris nil repertum esse, præter libros, & reliquias Sanctorum. Cætera quæ addit, nugæ sunt.

---

DE FRIDERICO, Episcopo  
Monasterienli. pag. 170.

**N**ON multa de hoc verba facit, quæ à  
me dicta sunt habet in confessis, suo  
tamen more censuram de illo adfert. *Fri-*  
*dericus hic, inquit, deceptus à Monachis illius cui-*  
*Rebellionem, & superstitionem viri dolemus.*  
Quicquid etiam aliàs Prædicans dixerit,  
Maiores benè mortuos, Maiores damnari  
non posse, tamen sibi temperare non potest,  
quin illos in religione damnet. Quod ma-  
gnum mihi paradoxum est, homines prauæ  
vel falsæ religionis saluari, vel beatos, & sal-  
uos factos esse.

---

DE GVNTHERO, Numburgensi  
Episcopo. pag. 171.

**P**Rædicans cum Phrygibus serò incipit  
sapere. Putat se hæctenus non benè de  
Maioribus locutum, quod bene mortui  
sint, & damnari non debeant, cum Papisti-  
cam, non Lutheranam coluerint religio-  
nem. Mutat igitur iam nunc verba, & sty-  
lum, dicens: *Fuit & hic è VVitikeis. Mortu-*  
*usne sic in Domino, dubitamus.* Item: Episcopus è  
Canonico Magdeburgensi factus est, in qua rebel-  
lione si obiit, dum vixit, ouiculas non parit reli-

gione, sed rebellione. Homo nihil adfert, quàm quod peruersi sensus ipsius dictitant.

---

DE CONRADO Magno, eiusque  
filijs. ibid.

**P**lissimi patris piam quoque sobolem, filios, & filias Aduersarius ipsemet volens nolens confiteri cogitur, ægerrimè quidem ferens tam egregium, sicuti ipse vocat, Principem viduum, relicto sæculo monasticam vitam amplexum esse. Et quamuis ita vocarit ipse, tamen *de virtute*, inquit p. 172. *nil scimus, Lautersbergium cœnobium, quod Petersberg nunc vocatur, condidit, cuculloq; sumpto intrauit ipse, presentibus V Vigmanno, Magdeburgensi Episcopo, Conrado Præposito Hallensi, Principibus: item & Comitibus multis Mansfeldensi, Arnstadiensi, Falckensteinio, &c.* Et subdit: *respondemus adhuc, quod antea sæpè. Dementatum fuisse Conradum hunc à Clericis illius temporis. Concludendo verò ait pag. 173. Peccauit hoc ipso egregius ille Princeps. 1. Taxauit; quod Deus probat Magistratus potestatem. 2. Deseruit vocationem. 3. Confirmavit Monachos in superstitione. 4. Confidit opere hoc se cœlum consecuturum esse. Prædicantem non pudet, dicere quicquid in buccam venit, siue loquatur de Dauo, siue de hero; de rustico, siue de Principe, tam mendaciter, quàm contumeliosè.*

liosè: Non est verum, egregium illum Prin-  
cipem taxasse ciuilis Magistratus potesta-  
tem. Ita enim in omni virtute, & inprimis  
in Catholica religione, & pietate educauit  
filios, vt essent Principes dignissimi, qui po-  
pulos sibi subditos potestate Magistratus  
regerent, quorum Otto, cognomento Di-  
ues, Stemma principum Saxonix, qui Dei  
gratia hodie adhuc supersunt, propagauit:  
Theodoricus, fundator Cœnobij Dobralu-  
cæ ad Elistrum nigrû, familiam duxit Mar-  
chionû Lusatix, Dedo autem, qui fundauit  
cœnobium Cillenense ad Muldâ, quod nunc  
V Vechselburgum nuncupatur, Stemma cõ-  
didit Comitum Rochliciorum. Fatetur hoc  
Prædicans ipse p. 174. *Conradi filij fuerunt Ot-  
to Marchio Misnia; Theodoricus, Marchio Lan-  
disberga, & Lusatia. Hos conditores Porta, vete-  
ris Cella ad Muldam, Dobriluca in Lusatia agno-  
scimus, affectum etiam, & pietatem erga Deum:  
Verum vti Pater in modo Deum colendi errauit,  
ita & filij. Prædicans vult omnes in fide de-  
mentatos fuisse, in modo Deum colendi er-  
rasse, & tamē in praua & falsa ista religione,  
quod sepe dixit, omnes bene mortuos esse, &  
damnari non debere. Toties oportet verba  
Consideratoris, ita consideratè loquentis,  
repetere. Sed verborû suorû immemor, mox  
eisdē collocabit in inferis, & deflebit filios,  
& filias Conradi. Cœnobiû enim, q̄ in Thu-  
ringia condidit Otto Conradi filius, dictum  
Porta, vocat apertè Portâ inferni. Antea erat,  
inquit,*

inquit, Porta illa, porta inferni, nūc facta est porta Celi. Prius domicilium ignavorum, & inutilium Monachorum. Calumniatur sine fine. Quid ex his verbis illius consequitur aliud, quàm filios Conradi per portam inferni iuisse in Infernum? ideoque statim luget illos. Hermannus, inquit ibid tertius filius Conradi, Episcopus Bambergensis fuit. Dolemus, ut & Theodoricum, Theodorici filium, Episcopum Merseburgensem. Mallemus Principes fuisse, (quali tales non fuerint, & permanferint) quam Episcopos, quorum ordinem, ut quidem in Papatu est, ad damnationem promouere credimus, & credemus. Idem de filiabus Conradi sentimus, Bertha, Abbatissa Gerbstetensi, Gertrude fundatrice canobij S. Theodori, Oda item moniali & Abbatissa Gerbstetensi, Agneta, Abbatissa Quedlinburgensi. Has omnes communis, & fatalis error, à recto & placente Deo vita genere in cameras, & deserta egit, à quibus Dominus iussit cauere. Ecce nunc omnes rotundè, & sine circuitione damnat, & simul ex commiseratione dolet. Ego certè damnatis non condolerem. Secundò ait: Conradus, cucullum amplectendo, deseruit vocationem Respondeo: In hoc nihil mali est, si quis priorem deserens commutet in meliorem, quod suo nos docent viuo exemplo, qui ex viris sæcularibus facti sunt Ecclesiastici, ex piscatoribus deserendo retia, nauiculas, totamque primam professionem, Apostoli. Tertiò, quod

hoc

hoc ipso confirmauerit Monachos in superstitione, per calumniam dico sic vocari sanctam religionem. Et quartò, quod confiderit opere hoc se cœlum consecuturum. Respondeò fiducia, vel confidentia hæc non hæret in opere, nec est ab opere; sed est à Deo, & in Deo, qui operibus bonis cœlum promittit, & qui opera bona ipse in nobis operatur, ipsum velle, & perficere. Philip. 2. v. 3. & qui iubet in se habere fiduciam, si idoneos nos faciat sibi ministros. Ita loquitur S. Paulus 2. Corinth. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, &c. qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti.* Et ad Ephes. 6. v. 19. *vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij.* Quis igitur non confideret in Deo promittente? Confidere in bonis operibus est confidere in Deo, cuius ista opera sunt, & à quo talia proficiscuntur, & remunerationem accipiunt. Hinc nascitur illa in fidelibus fiducia, si bene operentur.

---

DE HENRICO Illustri.

pag. 176.

**E**Andem semper repetit Prædicans cantilenam, de hoc ait: *Monasterium, quod condidit nouæ cellæ ædificatio Papistica est, vt & cœnobij V Veissenfeldensis, tribuenda cecitatis temporum illorum.* Et statim inferens historiam

riam

riam de S. Hedvige, deq; S. Elizabetha nihilo honestius loquitur. Hedvigus, inquit, cuius meminit Cutsenius, Silesiæ Ducissa fuit, superstitione ducta condidit nobile monasterium ordinis Cisterciensium in Trebnitz haud longè à Vratislavia, quo filiam Gertrudem cum centum alijs virginibus conclusit, ac denique post mariti sui obitum ibidem & ipsa cœlibem transegit vitam. A Clemente IV. Canonizata est. Elizabeth fuit vxor Ludouici, Landgraviij Thuringiæ, & Hassiæ, mortui Brundusii cum in Palesti-  
nam iret cum Imperatore Friderico. Anno 1227. Clara fuit eleemosynis, & post mortem miraculis Papisticis, quibus & meruit inter Papisticas Divas recenseri, à Gregorio IX. Ossa leuata sunt ANNO 1235. sollemnissimè. Verba Chronici Hirsuvagiensis sic habent. Sanct. Elizabet in

\* Marburg. \* Mersburgum per Archiepiscopos Moguntinum, & Trevirenses, & Hildesianum, Papa commissarios, è terra eruitur, presente Friderico Imperatore, & Episcoporum, Principum, Abbatum, Comitum, Pralatorum, nobilium, ignobiliumq; infinita multitudine. Nam eorum numerus ad duo decies centena millia fuit estimatus. Ipse Imperator (ubi de suo per parenthesis interserit: pro simplicem & deceptum principem) primum de sarcophago lapidem sustulit, imò cadaueri producto auream coronam, quam capite gestabat, imposuit. Ita Cutseni peracta leuatio. Nos rideamus, an doleamus? vtrumque arboror. Hæc causa est, cur tuam historiam huc re-

pro-



producam, vt pius quisq; videat te Deum,  
& Sanctos eius in cœlis ridere, & dolere  
quod in terris honorentur.

De Principibus cæteris, ad Georgium vs-  
que inclusiue omnibus Catholicis, patiens  
lector, & ego ipse hisce nugis recensenden-  
dis ad nauseam exaturati sumus. Melio-  
rem de hisce, quàm de præcedentibus sen-  
tentiam Prædicantis audire non possumus.  
Eadem ipsorum fuit religio, eandem igitur  
oportet illius quoque de ipsis esse censu-  
ram. De *Friderico Srenuo* breuiter sic ait:  
p. 180. *Felix coniugio erat prædictus Fridericus,*  
*si filiorum pars characterem Antichristi non su-*  
*scepisset.* De *Friderico Bellicoso* pag. 183. *Deplo-*  
*ramus, inquit, contra Hussitas tam hostilem*  
*fuisse. Impugnauit hoc ipso Ecclesiam Dei, pu-*  
*tans se Deo cultum præstare.* Et miror valdè  
hoc lamentum Prædicantis Lutherani su-  
per Hussitas, quibuscum illi conuenit, sicut  
Eutycheti cum Nestorianis, vel Luthero  
cum Zvinglianis, imò adhuc minùs. Si Fri-  
dericus impugnâs Hussitas impugnauit Ec-  
clesiã Dei, certè Lutherani non pertinēt ad  
Ecclesiã Dei, qui inter se differunt fidei præ-  
ceptoribus & præceptis. Sed heretici omnes,  
quotquot vnquã fuerunt, quantumuis inter  
se religione diuersissimi, & studijs inimicis-  
simi, sunt quandoq; gens vna, quãdo ipsis res  
est cū Catholicis. De *Vilhelmo* refert. *Nil hic*  
*Papisticū est.* Et statim subdit per correctionē

*cœnobium Papisticum est, quod condidisse tamen  
 dici potest, non ut monachos aleret, sed sepultu-  
 ram haberet. Nisi igitur cœnobium condi-  
 disset, sepulturâ caruisset. Ita consideratè  
 suas scribit considerationes. Sed aduertens  
 se non satis consideratè locutum, addit: Si  
 Papistica opinione condidit, fecit temporis vitio.  
 Illo enim adhuc tempore (obiit enim anno  
 1482.) Saxonix Principes erant Papistæ, qui  
 benè vixerunt, & ut Prædicans aliquoties  
 est fassus, benè mortui sunt, nec damnari  
 debent. Quomodò igitur vitio temporis, in  
 quo homines beati, & salui facti sunt? De  
 Alberto Moguntino Archiepiscopo, itemque de  
 Ernesto, Magdeburgensi Archiepiscopo, fratribus,  
 qui tumultuosam Lutheri defectionem nò  
 viderunt, loquitur pag. 188. quasi καὶ πει-  
 γνῶστας, Inuidit ipsis mors salutarem reforma-  
 tionem. Si attigissent tempora illa nulli dubita-  
 mus, secuti fuissent exemplum fratris (Friderici  
 III.) Clausisse tamen diem speramus in agnitio-  
 ne Christi. Quod nec diffitetur Cursenius, quan-  
 quam Cacolicismum suum admiscere tentet:  
 Nullam aut aliam tunc fuisse religionem, quam  
 Romanam, & tamen obÿsse in agnitione Christi.  
 Dixit de Ernesto Reufnerus, & ego ex illo:  
 Decessit in VERA agnitione Christi. Et sic tu  
 verba mea, vel potius Reufneri, Historici  
 Lutherani, non repetis, quibus ostendere  
 volui, ante Lutheri schisma, & apostasiam  
 Principes Saxonas discelsisse in vera agni-  
 tione*

tionem Christi, Lutheranis etiam confitentibus. Prædicans iterum videns se parum consideratè locutum, se ita corrigit. *Quasi verò simpliciter negemus in Papatu agnitionem Christi fuisse.* Si vera agnitio Christi fuit in Papatu, quare à Papatu Lutherus discessit? & vos omnes? *Fuit, inquit, sed apud Laicos potius, quam Clericos.* Imò exempla de quibus concorditer iam loquimur, sunt Clericorum. Uterque enim & Albertus, & Ernestus in vera agnitione Christi defuncti, Clerici fuerunt, & Clericorum summi Magistri, Archiepiscopi, summæ dignitatis Præsules Papistæ.

---

DE ADELBERTO Animoso.

pag. 189.

Prædicans suis ipsius ineptijs, & nugis defatigatus, exspaciatur iam nonnihil in campo Historices, & quia non potuit negare, quod ubique falsus est, Maiores Electoris fuisse Papistas, in vera agnitione Christi discessisse, benè mortuos, saluos, ac beatos esse, placet ipsi nunc aliud certamen inire, quo Catholici Principes inter se committantur. Sed absit, longissimè à me absit, qui in hoc periculum faciam. Prædicans secure sic auspiciatur de Alberto Animoso. *plus debet, inquit, Saxonica familia ab Austriacis, quàm*

E

Austria

*Austriacis à Saxonibus hic Albertus testimonio est. Et pergit hanc thesin suam pluribus illustrare & comprobare dictis, & exemplis. Respondeo ego. Plus deberi Catholicæ Religioni veritatis, & fidei, quàm Lutheranæ, hic Albertus testimonio est. Catholicam enim religionem per totam vitam ore confessus est, & manu defendit, non sine magnis periculis, non sine magnis sumptibus. Et quanquam verè dici aliquo modo possit satis Ecclesiarum, & cœnobiorum à Maioribus per annos septingentos ædificatū esse, quod suprà in Friderico graui Prædicans notatu dignum inuenit, p. 178. dicens: *Deficit in hoc Friderico Cutsemium materia de monasterijs prædicandi: Nulla enim adificauit, vt prædecessores, videns plus monasteriorum esse quam expediret, &c.* non tamen huic Alberto id satis fuit, qui Collegiatam adhuc Fridburgi fundauit Ecclesiam. Prædicans non negat, sed addit pag. 192. *ductus errore communi struxit.* Catholicam itaq; Religionem, quam viuens, moriensq; tenuerat, hac structurâ posteris quoque commendare & relinquere voluit. Et fœlicem illius ex hoc mundo exitum, breuibus his verbis contestatur Prædicans ibid. *Reliquit, inquit, filios tres, & mortuus est in agnitione Christi.* Hoc est quod volo, & ita sentio, non autem id sentiré, si Lutheranus obiisset, An. sal. 1500. die 12. Sept. Filius quoq; Alberti, Georgius, Catho-*

Catholicâ suâ religione temporibus Luthe-  
ri toti Imperio satis inclaruit, qui animosi  
patris exēplo animosissimè se nouæ doctri-  
næ Lutheri opposuit, vltimus qui ex Saxo-  
niæ Principibus Vvitikindęis inter brachia  
S. Catholicæ Ecclesię beatam animam Deo  
obtulit. Prædicans concludēs vniuersim de  
omnibus Principis Electoris Maioribus, &  
Antecessoribus, pag. 194. sic Serenissimum  
Electorem alloquitur: *Vixerunt quidem Ma-  
iores tui sub Papatu: Papisticè multa fecerunt, &  
crediderunt, &c. Adhæserūt Christo, si nō semper,  
in agone tamen, vt de illorū salute bene speremus.*  
Pulcherrima hæc est conclusio, propter quā  
euincendā & obtinendam omnia à me dicta  
sunt; scripta, & rescripta. Aliud nihil intēdi,  
sed hoc ipsum, & vnicum omnibus pagel-  
lis libelli mei *Saxonia Catholica* Serenissimo  
Principi Electori Saxonix Ducis, ceterisque  
consanguineis Principibus, omnibusque il-  
lorum subditis gradus cuiuscūque, illustri-  
bus, & Generosis, Nobilibus, & ignobilibus  
absque contentione, aut disputatione vllā  
suggerere, ac digito quasi in allatis maio-  
rum exemplis ad oculum ostendere volui,  
ad sempiternam omnium & singulorum sa-  
lutem: nihil iam curans, quod millies si-  
bi contradicens, simul illis affingat, de-  
ceptos esse, & seductos &c. Sed hoc vo-  
lui, & volo, Maiores omnes Papistas  
fuisse, & benè ac beatè mortuos, quod

Prædicantis sententia, & testimonio obtinui, & obtineo, quod etiam supra pag. 53. his claris edixit verbis: *Et saluos obÿsse credimus. Hac responsio nostra, & spes pia est, vti speramus, & quadrat non solum ad maiores nostros in vniuersum, sed & maiores Electoris, & Principum Saxonie. Agnoscimus vixisse illos vsque ad Fridericum III. & Henricum Patruelẽ in Papatu. De Maioribus igitur hic FINIS esto.*

Cæterum Prædicans pergit loco præsentate certamen cæptum decurrere, ac in specie Albertum Saxonẽ cum Friderico Austriaco Imperatore comparare. *Dignior certè fuit, inquit, p. 190. Albertus Imperio, quàm Fridericus tunc Imperator, quo longãuiorem Germaniã, ac ignãuiorem iuxta non habuit præter VVenceslaũ. Quæ est hoc definiendi hinc necessitas, aut quæ occasio interponendi hanc de vno, & altero censurã? Nulla. Ego hac porrecta mihi ansa, vtrumque cominendo, vtrumque collaudo; vtriusque res gestas de prædicò, ita tamen, vt Imperatorem maiori venerer honore, altiori folio collocem, neutrum præ altero contemnã, aut inter virtutes, & facta vnius, & alterius me iudicem sistam. Sed quod Prædicantem impulerit, vt faceret, est cæcus suæ religionis error. Narrat, vt sententiam suam probet, historiam Dietheri ex Comitibus Isenburgij, Archiepiscopi Moguntini, excomunicati à Papa Pio II. Huius Fridericus, Cæsar quoq; pius, noluit suscipere patrociniũ.*

nium. Et meritò. *Sed*, Prædicans inquit, ille  
manibus in sinum depositis deseruit Moguntinum,  
& Pio (scil. Papæ) etiam fauit; quin contra Fri-  
dericum Palatinum, & Ludouicum Bauarum,  
Diuitem dictum, qui Moguntini defensionem sus-  
ceperant, nil territi anathematum fulminibus, a-  
liquot potentes Germania Principes incitauit, vt  
non tam Iseburgium, quam huius defensores pe-  
terent. Nolo hic ad viuum refecare histo-  
riam, sed solum motiuam indicare, quæ  
Prædicantem incitarit ad maledicendum  
pijsimo Imperatori Friderico, iustissima  
mandanti. Et concludit ipse more suo: Eius-  
modi Imperatorem Germania tunc habebat, vt  
aptior longè fuisset ad imperandum Albertus Sa-  
xo. Quid lectori videtur de huiusmodi Præ-  
dicantulo, qui plus-quam Princeps Elector  
voto suo vota omnium aliorum Electorum  
superat, reprehendit, castigat?

---

#### CONSIDERATIO IV.

*Quorsum pertineat disputatio de Origine Sep-  
tem-virorum. pag. 198.*

**S**IC eam orditur: Nihil fieri frustra, in pro-  
uerbio, & verum est apud Papistas. Apud  
Lutheranos multa fiunt frustra, temerè,  
& sine causa, vel ratione; igitur apud ipsos  
proverbium hoc verum non est. Liceat se-  
mel post serua iocari. Proinde, inquit, cum  
Cussemius multa disputet per paginas quinque,

vnde, & quando cœperint Electores, ob graves causas disputari, &c. Nobis hæc duo in oculis & animo habuisse videtur. Benè ait videtur. Oculo corrupto nil rectè videtur: sic & Prædicanti, prauis affectibus ægro. I. Ut persuadeat, inquit, Electori dignitatem Electoralem non tantum à Papa originem sumpsisse, sed & stabilitatem habere. II. Ponuntur deinde, si rectè considerentur scripta, occulti laquei Electori hæc de Electorum origine disputatione, quam de industria inseruit medio scripti, ne ita facile animaduertetur, quid vellet tentator Respondè. Ignosco tibi conuicium. Non enim têtator, sed monitor fui tota libello meo: & liberabo te & alios omni metu, & mentis meæ sententiam clarè de mota questione aperiam, ne opus sit cum fictis laruis bella gerere.

Quando perueni in ordine Principum Saxoniorum ad Brunonem, Papam Romanum, dictum GREGORIUM V. quàm plurimorum, grauissimorumq; Scriptorum calculo, & suffragijs Author habetur Septemuiratus in Imperio: quæ tamen sententia nullius cœtanei Scriptoris roboratur autoritate, praxi etiam eius temporis, & exemplis repugnat, conatus sum eam à principio eruere, & explicare, ac determinare eum in modum, quo in libello *Saxonia Catholica* exstat. Nulli Scriptori volui propterea litem indicere, nulli etiam



etiam Principi ob hoc creare molestias, aut ferre præiudicium. Est quæstio historica; historicorum itaque, sed Synchronorum assertionibus explananda, & stabilienda.

Prædicans interim sibi hic non ferian- dum putat. *Licet*, inquit, *tota disputatio valdè sit insidiosa ad fallendum, & seducendum Electorem, & stabiliendum Papæ Imperium in Germanos instituta, utilis tamen est ex accidente* Præbetur enim occasio loquendi de Pontificum sceleribus, & Episcoporum perfidia erga Imperatores, & Magistratum legitimum. Respondeo, Prædicans non à me accepta, sed arrepta occasione insurgit toties quoties, ad libitum, in summos Pontifices, aliosque Ecclesiæ Episcopos contumelijs, & conuicijs, & vitæ factique errores, si quorum inuenti sunt, acerbissimè perstringit. Homines, fateor, fuerunt, & quamuis maiori numero sancti Patres, Sancti, inquam, non solum vocatione, & officio, sed virtutibus, sed meritis, miraculis, & Martyrijs, aliqui tamen aliquando personalibus vitijs, & malefactis pietatis orbitam excesserunt, qui comparatione bonorum admodum pauci sunt. Nolo tamen hic illorum esse Patronus, vbi etiam nullus datur locus de ijs loquendi. Prædicans autem cum

magna animi voluptate in hoc campo ex-  
currit, & quod dici solet, extra oleas euaga-  
tur.

Similiter digreditur hoc eodem loco à  
propolitæ quæstionis materia, inducens om-  
nes eosdem Imperatores, quos ego à S.  
Henrico vsque ad Rodolphum I. Habspur-  
gensem exclusiue in medium adduxi, ad  
comprobandum illos ipsos non à septem  
duntaxat Principibus, sed vt plurimum, à  
longè pluribus, ijsq; communibus Imperij  
Proceribus, & Statibus in Reges Romano-  
rum fuisse electos: ille verò vt ostendat, &  
probet non esse electos à Papis, quod nemo  
vnquam dixit, vel somniauit, sine omni iu-  
dicio, & ratione.

Tandem quæstionis neruum tangens, re-  
filit à vulgatâ aliorum Lutheranorum opi-  
nionem erroneam, qui Institutionem Ele-  
ctorum Principum vel Ottoni III. vel  
Carolo Magno Imperatoribus adscribunt,  
& mecum disertè ac clarè fatetur sequen-  
tia pag. 249. *Ante Fridericum II. inquit,  
certi Electores non fuerunt, & Rodolphi demum  
tempore innotuerunt, qui à septem Electori-  
bus ad fastigium Imperij euectus fuit. Ex illo  
tempore septenarius numerus mansit, donec Ca-  
rolus IV. eum aurea Bulla erectâ planè con-  
firmaret. Sed in odium Romani Pon-  
tificis, vel potius veritatis, non vult  
mecum acceptare, vel confiteri eius san-  
tionis*

tionis Authorem, Papam nempe Innocentium IV. qui eam sanciuit in generali Concilio Lugdunensi, in quo prædictus Fredericus Imperio, omnique potestate per sententiam dicti Pontificis priuatus fuit, post cuius depositionem, vsque ad dicti Rodolphi electionem, licet interim aliqui ab aliquibus more tunc solito ad apicem Imperij promoti, electi, vel euecti fuerint, saniores Historici interregnum computant viginti & octo annorum. Dixi tamen in Saxonia Catholica apud me probabile esse, & verisimile, Principes Imperij, accepto Pontificis Decreto de Septemuiratu, postea inter se disposuisse in conuentu publico de septem certis personis, vel certarum prouinciarum Principibus, pro perpetuis Electoribus habendis, à quibus primus, vel primùm omnium electus fuit iste Rodolphus, licet absens fuerit Rex Bohemiæ, & cæteri omnes per compromissum voto vnus Ludouici Palatini elegerint. Et hoc mecum ibidem concedit quoque Prædicās. *Probabile est, inquit, vel in conuentu aliquo Imperiali ita constitutum esse, ne plures quam septem essent, &c. vel inualuisse consuetudine aliquā tacitā.*

Consideratio V. Prædicantis.

*Quam pungat Cutsemius Electorem, & eius Maiores. pag 252.*

**P**Rædicans veritate, & rationibus destitutus, putat deinceps vtendum cōuitijs, & cauillis. Legat, perlegat, relegat quisquis est. totum libellum meū à capite ad calcem, nihil inueniet, quod honori, & laudibus Serenissimi Principis Electoris, omniūq; eius Maiorum detrahat; multa autē, imò quàm plurima obseruauit ibi dici, narrari, & prædicari, quæ ad splendorē, & gloriā Inclytæ Domus Saxonicæ, ex professo summè faciunt, adeò vt certare aulim cū quouis Scriptore, etiam Lutherano, quis digniùs, & veriùs, absq; adulationis nota Domus Saxonicæ encomia in tam paucis folijs deprædicet. Solū suppliciter rogauī, & deuotè in Christo monui Principē Electorē, propter amorē salutis suæ, vt Maiorum, & prædecessorū vestigia, & exēpla in saluifica religione, qua iuerunt cælo, & salui ab ipso quoq; Prædicante dicuntur, æmulanda sibi proponeret. Ex quo voto, & prece mea Prædicans multa educit *πορίσματα*, quasi ego Principem tot læderem, & afficerem ignominijs.

Sic orditur: *Cutsemius Scorpio est; blanditur vultu, & fronte, cauda ferit. Laudat Electorem impensè, at quàm laudat, tam culpatur. Nos ictus Scorpionis numerabimus, & sub vnum aspe-*

aspectum ponemus. Numerare sit refutare. I. Elector ignorat salutarem Deum colendi modum. II. Vestigia Maiorum deseruit, errabit celo. III. Credit concionatoribus suspectis. IV. Patrum legem dimisit, & à rectis Maiorum semitis recessit. V. A Friderico III. vsque nulli Principes Saxoniae sinceræ fidei cultores fuerunt, vel filij Ecclesiæ. VI. Fridericus III. inconsideratè autam religionem, non aliter quam vestem attritam, abiicit, nouamq; quam sarcinauit Lutherus, induit. VII. Religionem Elector destruxit, bona abstulit Ecclesiæ. VIII. Elector Episcopatum Mersburgensem superstitione potius, quam religione, & multis erroribus contaminauit, &c. Hisce probat me culpare Electorem. Sex prima fateor posse ex verbis meis educi, & toti Christiano orbi vera esse constant, absque tamen ea, quam Prædicans ad eò criminatur, Electoris culpa, licet non absque salutis eius iactura, nî in viam beatorum Maiorum redeat. Duo postrema falso narrat me Electori Domino Ioh. Georgio, primo Authori obijcere. Conflare, & concitare in me Principis iram, & odium, idem valet apud Prædicantem, atq; scripta mea refutare. Et in hac cholera ipse stomachum suum bile necdum euacuauit, sed maiori adhuc ardens iracundiâ: Nos, inquit p. 253. Si consequentias neçtere vellemus, Electorem habere cogeremur peruersum. 1. Cæcum, 2. Desertorem, & Apostatam, 3. Stultum, 4. Filium, & ministrum Diaboli, 5. Raptorem, 6. Sacrilegum.

Qui

Qui enim ignorat verum Dei colendi modum, vestigia bona maiorum, & patrum legem rectam dimittit, &c. illum necessario esse oportet cæcum, desertorem, stultum, filium diaboli, &c.

Necat, connectat, fingatque Prædicans consequentias, quas velit, donec ad sanam mentem redeat, qui nunc furit, & insanit. Ego fortiter sustineo ea, quæ in libello meo *Saxonia Catholica*, sub correctione tamen S. Sedis Apostolicæ, aliorumque virorum bonorum, dixi; & clarè, ac constanter repeto Serenissimum Electorem Dn. Ioh. Georgium eam non colere, nec sequi religionem quam beati ipsius ante Fridericum III. Maiores Catholici, & Papistæ tenuerunt, & salui facti sunt.

---

### Consideratio Prædicantis VI.

ET VLTIMA.

*Quantis calumnijs oneret Cutsemus Lutherum, & Lutheranos, pag. 254.*

**O**Mnis audiat, & iudicet de ijs æquus lector. Primum, inquit Prædicans p. 255. conuictum est. Lutherus ab ordine Monastico S. Augustini profugus fuit; quod ita diluit; Respondeo, inquit, Hoc conuictum conuictum est, & non est. Ita pulchrè distinguit; catapodialiter concedit esse conuictum, reflexiue

flexiuè negat. Imo explicat distinctionem  
sumendam esse quoad homines. Est, inquit,  
apud Papistas, apud nos, scilicet Luthera-  
nos, non est. Applico: Veritas est veritas,  
& non est. Est apud Papistas, apud nos non  
est, quia veritas apud nos non est res vera,  
sed falsa. Prædicantis distinctionem nunc  
admitto, & credo illi veritatem apud ipsos  
non esse veritatem. Adscribam huc eius  
verba integrè. Hoc conuicium conuicium  
est, & non est. Est apud Papistas, apud nos  
non est. Ita enim statuimus; *Omnem ordi-  
nem Monachalem in Papatu esse à diabolo, idq;  
probamus è Vaticinio Christi, Matth. 24. & 15.  
τ. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater,  
eradicabitur.*

Hæc Sophistica Prædicantis nihil valet  
ad eludendum historiam, quâ narraui Lu-  
therum ab ordine Monastico S. Augustini  
lapsum, & profugum fuisse. Vel hoc verum  
est, vel non est. Si non est, cur ipsemet pau-  
lò post idem fatetur, dicens: *Laudanda pro-  
inde fuga Lutheri est.* Si autem verum est, cur  
interpretatur veritatem conuicium? Item  
si apud Lutheranos non est conuicium, cur  
Prædicans numerat inter conuicia, & hoc  
quidam primo loco. Et quæ est hæc insana  
infanti thematis ratio? *Ita enim, inquit, sta-  
tuimus; Omnem ordinem Monachalem in Pa-  
pato esse à diabolo. Idem suprâ quoq; dixit  
pag. 72. Monachi, Canonici, monacha, Episcopi,  
& omnes*

*Et omnes huius farinae homines diabolo seruiunt, quidquid de seruitio Dei iactitent. Non Deus seruitia agnoscit, quae in monasterijs fiunt, Et probare hoc vult è vaticinio Christi: Omnis plantatio, &c. Ita dextrè delirijs suis accommodat S. Scripturas, & verba Christi. Quis igitur ordo Monachalis eradicatus est: quã diu hoc nõ probat, ego veriùs ex illo Christi dicto colligo, & assumo; Ordo S. Augustini, S. Hieronymi, S. Francisci, S. Domini- ei. S. Benedicti, S. Bernardi, & ordo quicun- que religiosus alijs S. Patris in Papatu non eradicatur, vel necdum eradicatus est, pro- cul dubio igitur eum, vel eos plantauit Pa- ter, qui in cælis est. Lutherus quidem ex monasterio, & ordine Diui Augustini era- dicatus est, sed non ordo, qui floret passim in oriente, & occidente; Deo in odorem suauitatis, germinans fructus in æternum. Vituperanda proinde fuga Lutheri est, non laudanda.*

2. *Conuicium dicis, inquit, Lutherus no- uam religionem sarcinauit, abiecta veluti veste veteri, religione antiqua. Mendacium autem dicis. Respondeo: Hoc Prædicantis ver- bum non est vlllo responso dignum. No- uit totus mundus Lutheri, & Lutheranae religionis antiquitatem. Imo ipsi Luthe- rani alij norunt. Centum nunc annis na- ta est, cuius Memoriae iubilæum nuper suum consecrauerunt, & magna solen- nitate*



solennitate celebrauerunt, si antiquior esset, & annos, vel sæcula plura haberet, malè iubilæus sæculi vnus iam nunc ab ipsis triumphatus esset. Solus Prædicans Tyro inter Lutheranos hæc nescire videtur.

3. *Conuicium: Ais, inquit, Lutherus principio nihil minus cogitauit, quam vel à fide Catholica, vel à religioso ordine S. Patris Augustini latum pedem recedere. Conuicium hoc vocat, quod claris verbis Sleidani, ipsorū historici manifestum feci, & ipse Prædicans non negat, imò per modum aliū quæstionis affirmat: Nunquid, inquit, ideo boni estis ipsi, vel fides vestra?*

Similis generis sunt reliqua omnia. Pudet, & piget ijs describendis calamum atterere, vel lectori nauseam parere. Aliquid ad rem facere videtur decimum tertium, quod sic habet: *Neq; alijs in memoriam refricare, quo præceptore de nocte, semet ipso confitente Tom. 7. operum, vsus sit. Quo familiari spiritu tantus postea euasit tot discipulorum doctor, & nouus Euangelista, Et hoc conuicium appellat, respondens: Veterator, inquit, & hypocrita, dum ita refricas, memoriam nostram refricari tibi tuam vicissim patere. Oblitusne es, quibus vsi sitis Pontificibus, & quibus hi magistris? Quot numerentur in ordine Pontificum Necromantici, & Magi? Respondeo; Non memini vnum. Syluestrum nominas solum, qui à Diabolo*  
gullum

nullum religionis punctum, nullum dicitur  
 fidei articulum accepit, quem nobis tradi-  
 derit. Profer, si potes, vnum. Verum Luthe-  
 rum de nocte à Diabolo in summo Chri-  
 stianæ fidei negotio, in articulo S. Euchari-  
 stiaë, vel Cœnæ Dominicæ post longam  
 cum ipso Diabolo disputationem, instru-  
 ctum fuisse, & ab illo suam institutionem  
 accepisse fatetur ipse Lutherus, imò & ad  
 perpetuam rei memoriam scribit, vel scri-  
 psit ipse Lutherus. Et ne quis putet simpli-  
 tem aliquam Dæmonis tentationem fuis-  
 se, cui nihilominus fortiter resistendum,  
 non consentiendum fuisset, aut verò ima-  
 ginariam disputationem, foris apparentem  
 tantum, sed penetrasse ad imum cor usque  
 Lutheri, atque ita verba Diaboli à Lutherò  
 mente cordis sui recepta, ac benè intellecta  
 fuisse, sine aliqua delusione, ita vt Luthe-  
 rus Diaboli argumenta, & eius explicatio-  
 nes verborum Christi, sciens volens admi-  
 serit, ac receperit, tanquam docilis, & cre-  
 dulus eius discipulus, verba Lutheri germa-  
 nica, propria, formalia ex editione VVite-  
 bergensi apud Ioh. Schvvertel. Anno 1572  
 fol. 143. pag. 2. & seqq. huc bonâ fide adscri-  
 bam.

Ich bin einmal zu Witternachte auff-  
 erwacht / da fieng der Teuffel mit mir  
 in meinem Herzen ( ecce non solum  
 foris

foris vellicans aurem, sed cor eius ingrediens) eine solche disputation (wie er mir dann manche nacht bitter/ vnd sawr gnug machen k̄) hört ihrs/ hochgelehrter/ wisset ihr auch/ das ihr funffzehen Jahrläg hab fast alle tag Winkelmissē gehalten wie wenn ihr mit solcher Messe hettet eitel abgöterey getriebē? &c. p̄iget verba Diaboli integrè huc referre. Lutheri autem adscribam. fol. 444. Nie brach mir warlich der Schweiß auß/ vnd das hertz begüt mir zu zittern/ vnd zu pochen. Der Teuffel weiß seine argument wol an/ zu setzen/ vnd fortrringen/ vnd hat eine schwere starcke sprache/ vnd gehen solche disputation nicht mit langē vnd vill bedencken zu; sondern ein augenblick ist ein antwort vmbis ander/ vnd ich hab es da erfahren/ wie es zu gehet/ das man des morgens die Leute in Bette tod findet. &c.

Post hæc verba sequuntur argumenta Diaboli. 1. Erstlich sprach er du weiß das du nicht recht an Christū geglaubt hast/ vnd bist des glaubens halbē so gutt als ein Türck/ denn der Türck/ ja ich selber mit allen Teuffeln glauben auch &c. Indigna sunt verba Diaboli, quibus charta commaculetur.

2. Arg. Sum andern/ so bistu geweiheet/ vnd hast gewandelt wider die Ordnung/ vnd memāg Christi. Dann Christus meinung ist die &c. Diabolus explicat, & interpretatur Luthero mentem Christi.

3. Arg. Diaboli. Sum dritten/ Christus meinung ist / das man &c. Sic quarto, & quinto quoque argumentis pergit Diabolus Luthero aperire mentem & sensum Christi. Cuius disputationis historiam prolixè ita per aliquos

m dico  
s tradi-  
Luthe-  
Chri-  
achari-  
ongam  
instru-  
tionem  
o & ad  
el scri-  
simpli-  
n fuis-  
ndum,  
o ima-  
rentem  
r vsque  
uthero  
rellecta  
Luthe-  
licatio-  
s admi-  
& cre-  
germa-  
V Vite-  
no 1572  
adscri-

bi auff  
mit mit  
solum  
foris

paginas Lutherus in scriptis denarrat, cū omnibus obiectionibus, & respōsionibus vtrinq; prolatis, eamq; sic terminat: Das war die disputation fast in der Summa.

Postmodum Lutherus argumentis Diaboli concessis & admissis pergit doctrinam eius, in quam pedibus iuit, tanquam rectam pluribus approbare, & confirmare, imò & commendare Diabolum, quod sit valdè acutus & subtilis disputator, habeatq; argumēta penetrantia, quibus sæpe homines subito interimuntur. Dann ich auch/ ait Lutherus, der künen Heldē einer bü/ber sich nicht vor zehn fürchte / wo ich allein bin. Aber solten sie den Teuffel hören disputiren/ sie solten mir nicht lange von Kirchen / vom alten brauch vnd herkommen plaudern/ & inducit ibi exempla terribilia, vnd ich halt das Zinsler/ vnd Ecolampadius/ vnd dergleiche seind durch solche fewrige Pfeile/ vnd spiese des Teuffels so plötzlich gestorben. Item: Er ist fast kurzweilig/ wann er disputire/ dann er spielet des kurzen/ vnd macht nicht lange weile/ wo er den mann allein da heim fundet. Ein Lügner ist er/ das ist wahr/ aber besser kan er liegen / dann sonst ein schlechter Lügner/ vnd künstlicher/ weder ein Mensch verstehen kan. Miror itaq; quomodo Lutherus, si homo fuit, Diabolum ita artificiosè mentientem potuerit intelligere. Dann er nimpt für sich eine warheit/ die mann nicht Leugnen kan/ vnd scherfft dannie seine Lügen/ das man sich nicht weren kan/ &c. Ideò etiam Lutherus succubuit, & à Diabolo victus fuit:

Satis est de hac Diabolica disputatione, in qua Lutherus Diabolo in omnibus consensit,  
& sub =

& subscripsit. Et tamen prædicans vult hanc  
disputationem fuisse solam tentationem atri  
Dæmonis. *Disputavit nempe ait, cum Diabolo*  
*non κατὰ πρόσωπον, uti Christus cum Diabo-*  
*lo, visibiliter, & ore tenus colloquenda.*

Respondeo: omninò taliter, qualiter dispu-  
tauit cum Christo. Non visibiliter inquit. Hoc  
credidero, quia media nox fuit. Et non ore te-  
nus. Etiam credo, quia os non habet: Spiritus  
enim est, sed nequam, sed mendax, & seductor,  
quo Christus non utitur mentis suæ interpre-  
te, & Doctore ad docendum, sed iussit caueri  
ab illo, *Ben höchster straff/ vnd ewiger vngnadh*  
*Gottes/ vnd verläß der Seeligkeit.* Et tu Luthe-  
re Diabolo credidisti? Et tui Lutherani tibi? O  
miseros, quorum dux & lux ad inferos est Dia-  
bolus, rector tenebrarum! Ad cælos enim  
ducere non vult.

Figmentum tuum est, Prædicans, quod non  
in propria persona cum Luthero congressus,  
vel collocutus sit iste tenebrio. Per quem igi-  
tur Legatum? Lutherus ipse dicit fuisse Diabo-  
lum. Et licet non visibiliter propter mediæ  
noctis caliginem, satis tamen audibiliter, quia  
de loquela, quam ille spiritus deceptor forma-  
uit, crassa, & aspera Lutherus claris verbis at-  
testatur, dicens: *Dann er hat eine schwere starke*  
*sprache/ quæ etiam hic vsus est.*

Imò non solum in corde *im Herzen/* ut tu  
vis, Lutherum fuit allocutus, sed quoque in  
auribus eius inclamans: *Höre ihrs/* quid hoc  
est, *Hört ihrs? & compellans illum formali suo*

titulo, *Hochgelehrter wisset ihr* &c. Sed pueri aliter iudicaret quā tu, quāuis simul ad eiusmodi strepitus, & clamores Diaboli, media nocte sic irruentis, exhorrescerent, imò & viri, praesertim illi, in quorum iugulos habet potestatem. Vadat hinc Satanās, ac valeat cum illo Lutherus, & quotquot illos duces in religione sequantur.

Ceterum me malè locutum de alijs Lutheranis, Prædicans ex suggestione istius eiusdem Spiritus fingit, neminem nominat, nullum cōuicij, vel iniuriæ verbum profert, quia non potest. Errantibus illis sum precatus omnibus omnia bona, imprimis salutiferam conuersionē ad sanctam Catholicam omnium Christi fidelium Ecclesiam, & consequenter æternam animarum salutem. Prædicans verò mihi optat, quod cholerae illius indulgeo: *Te suaforem beet ater Demon. pag. 107.* Et in eadem pag. paulò antè: *Ringeris, inquit, hac legens, ringaris, ut lubet, & ut crepes, faximus.* Reliquas illius nugas, & ineptias; maledicta & conuicia, diras, & imprecationes, blasphemias, & obtrectiones sciens volens prætereō.

Stat itaque adhuc inuicta, & floret veterum Witkindeæ familiae Principū, Regum, & Imperatorum Saxonia Catholica, ad quam ego Serenissimum Saxoniae Ducem, modernum Electorem, omnesq; cæteros Principes Sanguinis, cum vniuersis ipsorū subditis, nunc vt tunc deuotissimè reuoco, ad immortalem gloriā Dei, & æternam singulorum illorum salutem. Amen.

*Vt resipiscatis, & viuatis,*

*Legite Saxones, & intelligite.*

FINIS.

Sagt mir Mat  
mit sphalmata.





9/19 7793

ULB Halle

3

004 968 190



VDA M.E.



PETRI CVT  
A P O I  
P R O S V O  
I N S C

# SAXONIA

*Ostendens illius ver  
sarij, Prædicantis L  
multis eiusdem cont  
conuictis, maledictis,  
miis in superos cali  
terræ; pro falu  
uersione*

Impius, cum in prof  
co



COLONIA  
Sumptibus B  
ANNO

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000  
**Kodak** LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

